

cm  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29

Det här verket har digitaliseringen vid Göteborgs universitetsbibliotek.

Alla tryckta texter är OCR-tolkade till maskinläsbar text. Det betyder att du kan söka och kopiera texten från dokumentet. Vissa äldre dokument med dåligt tryck kan vara svåra att OCR-tolka korrekt vilket medför att den OCR-tolkade texten kan innehålla fel och därför bör man visuellt jämföra med verkets bilder för att avgöra vad som är riktigt.

This work has been digitised at Gothenburg University Library.

All printed texts have been OCR-processed and converted to machine readable text.

This means that you can search and copy text from the document. Some early printed books are hard to OCR-process correctly and the text may contain errors, so one should always visually compare it with the images to determine what is correct.



GÖTEBORGS UNIVERSITET


JOHANNIS MESSENII  
SCONDIA  
ILLUSTRATA,

*Seu*  
CHRONOLOGIA DE REBUS SUECIÆ

Potissimum;

Deindè Regnum etiam adjacentium,  
in quantum illius conductit cognitioni;  
Tām Ecclesiasticis quām Politicis,  
ab Anno CHRISTI MDLX. ad MDLXVIII.  
gestis.

TOMUS VI.



STOCKHOLMIÆ,  
Typis OLAVI ENÆI, ANNO CHRISTI M. DCCII.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO  
MONARCHÆ,  
D. GUSTAVO ADOLPHO,  
Sueciæ, Gothiæ, ac Vandaliæ Regi, Magno  
Finlandiæ Principi, Duci Estoniæ, Careliæque,  
nec non Ingermanniæ Domino,

Plurimam ac æternam salutem !

**R**æclaris, & omnino regiis ani-  
mi corporisque dotibus præditus fuit non paucis, Rex  
**ERICVS, MAJESTATIS VESTRÆ** Patruus; Verum  
quod mentis simul quibusdam foret deditus affectibus  
præposterioribus, & passionibus etiam aliundè provenienti-  
bus, traxerat hinc ruinam. Nam animi quadam inconstantia, consilii  
præcipitantia, nimia divitiarum affluentia, & harum inutilis profusio;  
Sicut etiam frequens cum malis consultoribus de Republ. deliberatio, insa-  
tiabilis dominiorum cupido, quodque suspicionibus plus & quo indulgeret,  
exitium Regi magnificentissimo attulerunt. Indè siquidem, pro dolor, sedu-  
ctus, pluribus se hostibus objecit, quam simul posset satisfacere, Danum,  
Polonum, Lubecenses, Livones pariter adversarios, cum gravissimo tam  
suo, quam regni Suetici detimento sustinens; Jam & internos in se ho-  
stes pariter lacepsivit, fratre Johanne impugnato, & captivato, quibus-  
damque Procerum nobilioribus trucidatis.

Huc accessit quod vagæ domi operam daret libidini, & foris cum  
ingenti opum profusione simul Angla, Scotæ, Lotharinga & Hessæ, con-  
nubium expeteret, obtentoque aliquarum earundem consensu, minus lauda-  
biler illas negliceret, neutram ducendo. Præsertim verò cum domi tan-  
dem statui haud convenienter regio, maritus factus sit, unde permagnum  
Sibi, & suæ familiæ contemptum, odiumque gentis Sueticae conciliavit.  
Caterum ad rerum quod attinet hujusmodi causas, cum Rege Danorum  
consobrino suo in bellum incidit, quod is insignia Sueciae nullo sibi jure  
arrogaret, & in insulam Gotlandiæ, quasdamque olim provincias à  
Suecis emptas, & illis restituendas, Rex ERICVS jus prætenderet, vel  
premium refundendum esse. Quapropter cum Dano poscente non difficiles  
arma conjungunt Lubecenses, ac Polonus; Illi quidem quod vetus in  
Suecia negotiandi non impetrarent privilegium; Hic porro quod ERICVS,  
domi-

dominium Estoniae affectaret, deinde sororem ipsius, & sororium Johannem Finlandiae Principem, in vincula conjecisset. Unde liquet simul, quænam fuerit causa dissentionis Ericum & Johannem inter, nempe quod Rex fratri haberet suspectum cum germana hostis matrimonium; Ac propterea ut Moschum ad suas traheret partes, Catharinam violenter marito creptam, illi conjugem minus honeste pollicetur, quam prius frustra Tyrannus expetivisset.

Atqui cædem ERICVS Procerum ideo perpetravit, quod suspicatur ipsos throno Sueciae clam inhiare, quem majores illorum quoque possedissent; vel Ducis Johannis, seu proximi cognati, liberationem machinarentur, ut sceptrum regni ipsi traducerent. Nec tantum hujusmodi suspicionum incendio, fomitem subministravit cacodæmon, quantum unus consultorum primarius malorum, Georgius Petrius, qui regis, regni que subversioni natus videbatur. Hæc quidem POTENTISSIME REX, præsentis summa est Historia, quam de Patruo & patria MAJESTATIS VESTRAE conscriptam, jure quodam meritissimo MAJESTATI VESTRAE inscribo, & qua pars est subjectione dedico offeroque, impensè flagitans, ut Chronicon & chronographum, consuetâ dignetur benevolentia complecti. His proinde valeat MAJESTAS VESTRA quam rectissime, diutissimeque. Ex arce Cajanaburgensi, VIII. die Augusti, anno MDCXV.

S<sup>x</sup>. R<sup>x</sup>, MAJESTATIS VESTRAE

Subjectissimus & fidelissimus  
Servitor,

JOHANNES MESSENIUS.

## PROGRAMMA.

**V**OS qui scepta tenetis ipsa mundi ,  
Et rerum dominos Deus creavit ;  
**Q**uos inter Gothiæ fui monarcha ,  
Et Suecam pariter tuli coronam ,  
Infortunia vos mea erudire  
Possunt, consiliariis malignis  
Aurem ne tribuatis usque fidam ;  
Nec mens suspiciosa vos patrare  
Cogat flagitium; velut necare  
Insontes homines ; vel hos inquis  
Torturis cruciare ; carcerumvè  
Claustris tradere ; vel bonis honestè  
Partis despoliare ; nec sitire damna  
Fratum; pluribus aut movere bellum  
Unà fortibus hostium catervis ;  
Nec gazæ cumulos nimis profusâ  
Dextrâ distribuatis, hos parentum  
Nobis sollicitudo congregavit ;  
Consortem thalami nec eligatis  
**Q**uæ non conditione vos adæquet;  
Hostis conciliatus haud repente  
Credatur nimium, latet venenum;  
Hinc traxi exitium , cavete lapsum;  
Vos vestigia nostra sat monebunt.

CHRO-



## CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ TOMUS SEXTUS.

Nno M.D.LXI. post parentalia, Ericus Gustavi filius quibuslibet animi corporisque dotibus, regiæ competentibus majestati, affatim decoratus, clavum Sueciæ capessit moderandum. Nam præter insignem artium liberalium, & præsertim mathefeos, ac lingvarum exoticarum cognitionem, in omni disciplinæ militaris fuerat genere versatissimus; ingenio admodùm perspicaci, verùm suspicaci; blandus sermone; comis alloquio; statura corporis mage grata, quam elatâ; equitandi, nataudi, saltandique peritiâ tantopere præditus, ut spectantium animos in summam plerumque admirationem raperet. Quocircà ingentem de illo spem omnes Sueonum conceperant, nec eâ frustrati fuissent, nisi pravorum seductus suasu consultorum, eorundemque coryphæi, Georgii Petri, hominis versutissimi, crudelissimique, ille fratribus & sororibus, injuriâ affectis vindictam in se provocasset; Amplissimo quoque Sueciæ regno non contentus, aliena affectasset imperia; Inde multiplici bello domi & foris, se implicasset, Danos, Polonus, Livones, negotiatores Vandalicos, & ipsosmet Sueones, Principi Johanni germano adhærentes, simul lacefendo; Nisi prætereà regni proceres, quorum majores Suetico quondam assedissent gubernaculo, affectati perperam forsitan suspectos dominii mactasset; Animo nimis inconstanti cum variis identem principibus fœminis, matrimonium contrahere primum proposuisset, nunc Anglam, nunc Scotam, nunc Lotharingam, & nunc Hesfam ambiens, ac immenso in harum quamlibet auro profuso, inchoatum connubii pactum denique omisisset, intereaque domi nimium vagæ deditus libidini, pellicibus illustrissima dissuadentibus continuò matrimonia, obedivisset; Ac demum nisi thesauros Sueciæ admodum grandes, à parente in usum reipub. conservatos, non hinc perdendæ, & diu congestos, nimium imprudenter, præfatis aliisque modis dilapidasset, prout sequens his omnibus perhibitura testimonium sit historia, ad quam ex diverticulo nobis modo remeandum.

Ab exequiis reversi paternis Stockholmiam unâ fratres & forores Erici regis, paterni flagitant executionem testamenti; portionem scilicet

## CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ

cet quilibet suam de amplissimo patris thesauro, velut etiam fundorum hæreditariorum, & deputatos sibi ducatus; Johannes Finlandiam; Magnus Ostrogothiam; & Carolus adhuc minorennes, Sudermanniam, Nericiam & Vermelandiam. Itaque bona Ericus cum iis mobilia partitus, sibi juxta obligationem illis argenti summis maximis, in Anglicum impensis matrimonium non detractis, suam integrè capessit portionem. Fundos autem hæreditarios ipsis prescise denegat, asseverans cum major illorum foret pars à priscis olim regibus Suecanæ donata Ecclesiæ, hinc mandato parentis ablata, minus verò æquè fundis hæreditariis adnumerata ad coronam regni, quæ eorundem amissione fuisset nimium exhausta, iterum devolvendos esse. Ducatus tamen fratribus destinatos, præterquam Carolo, assignavit, sed jure magis limitato, quam ultima fuerat parentis voluntas; hisque de caussis prima, & quidem fœcunda valde inter Gustavi liberos jacitur discordiæ fementis.

Quam rex Ericus parvi faciens, pro suæ voluntatis executione in his, aliisque regni negotiis, primarios Sueonum Arbogiaæ convocat, ubi XIV. Aprilis, Duces compulsi talibus subscribunt statutis, quoad provinciarum possessionem observandis, qualibus illi mancipia fratri prorsus effici se clam fremebant. Consangvineos vero suos alios inferioris ordinis potestate, dignitateque ornatus, ordinibus voce præconis sollenniter denunciat, quod Petrum Brahe amitinum suum, sicut & Suantonem Sture, Gustavumque Rosa, parentis consobrinos, in proxima suæ coronationis festivitate vellet Comitum insignibus decorare. Causæ erant, ut hi hæreditarios naucti honores, hæreditariis Regibus fideliter adhærerent. Quæ non evanuit spes, profuitque postmodum, & prodest adhuc Gustavi familiæ, fide illorum erga eandem nunquam non firmâ existente.

Verum postridie Rex ipse metum ordinibus locutus, suum cum Angla connubium deprædicat, & tandem se illorum permittit arbitrio, hâc tamen lege, ut si Anglicum non procederet matrimonium, sibi liberam posteâ facerent potestatem, indigenam, vel alienigenam, inferioris aut superioris conditionis uxorem eligendi.

Hinc statim Sueones subveriti id, quod accidit postmodum, nè Anglæ privatus amoribus, unam pellicum duceret uxorem, quod nimio harum desiderio flagrare illum constabat. Nuptiis igitur subscribunt Anglicis, & amplissimos in has contribuunt denuò sumptus. Quibuscum, aliisque longe majoribus ex regni desumptis ærario, regiorum quidam servitorum in Angliam præmissi sunt, tanto necessarium thalamo præparaturi apparatum.

Remanens interim Arbogiaæ sponsus adhuc paulisper, ut regnum sua in absentia tranquillus gubernaretur, peculiarem singulis assignat provinciis dynastam; supremos incolis judices controversiarum ordinat, quorum pars media Stockholmiae continuò moratura, & assessorum reliqui per vices regnum perlustraturi, litesque forent discussuri. Diuersoria etiam publica, & subsidia pro commeatibus ultrò citròque per Sueciam, viatoria constituit. Livoniæ præterea subactio in his ponderata, approbataque, comitiis. Inauguratio regis publicata, XXIX. Junii die celebranda Upsaliae. Et tandem nonnulla religionis negotia in hoc ventilata conventu. Etenim Rex juvenis Dionysii præceptoris informatione, & quotidiano cum aliis ex Anglia Calvinistarum colloquio, ad dogma summoperè inclinatus Calvinianum, de contrariis huic ceremoniis primum in Ecclesia Sueonum abrogandis; Sacramenti nimirum elevatione; imaginum propositione, altarium & sacerdotum ornatu, movit ille quæstionem; nec promovit, M. Laurentio regni Archiepiscopo regiæ plurimum

mum reluctante molitioni, & sententiam confutante adversariorum. Rex propterea diendè indignatus est, quod foris sponsæ minus se fore gratum, Calvinianæ subvereretur, in his domi passus repulsam. Sed temporis progressu cum peregrino in Sueoniæ milite, placita Calvinistarum, Anabaptistarum, Iconoclastarum, & Liquiristarum, uberioris multò propagata, bellum acrius Laurentio intulerunt, prout ex sequenti constabit historia.

Cæterum modò Livonica invitat calatum tragædia, quam ut lector perfectius contempletur, ipsam paulò altius exordiar. Gothardus Ketlerus Magister ordinis Livonici, armis Moschorum gravissimè impugnatus, majores hostibus indies accedere vires, & sibi, suisque decedere hinc animadvertisit, quod Vandalorum mercatores, & potissimum Lubecenses, omissa cum Revaliensibus, aliisque Livoniæ civibus, negotiatione, sub Narviam cum mercibus navigarent Ruthenicam, ac Moscho insignem commeatum, & omnigenum belli gerendi apparatum, non in Livoniæ solum, sed totius etiam Christiani orbis perniciem, quotannis apportarent. Quamobrem cum sæpe numerò Lubecenses intermittendæ cum hostibus inusitatæ sub Narvia negotiationis, & consuetæ in Livoniæ urbibus, potissimumque apud Revalienses frequentandæ, nequicquam admonuisset, demum anno MDLIX. de ipsis coram Imperatore queritur Ferdinand. Quibus iste querelis compulsus, publico vetat edicto cum Moschis, velut Reipublicæ Christianæ hostibus, imposterum mercari, datisque simul litteris ad Gustavum, Sueciæ regem, ipsum, ceu maris Baltici dominum, ad impediendam hujusmodi cum Russis mercaturam, peramicè invitat. Atqui cum nihilominus institores Vandaliæ, aliarumque nationum, continuo in Moschoviam velificarent, classe Magister in Oceanum, cum subsidio Revaliensium expeditâ, plurimas intercipit onerarias Russiam versus festinantes, vel inde remeantes, & Sueonibus simul non parcens, Sueciæ propterea Regem sibi infestum reddidit.

Nec minus Vandaliæ mercatores, amplioribus longè mercibus spoliati, Livonibus indignantur, qui Cæsareum exequerentur mandatum. Propterea Ferdinandi facti supplices, datâ cautione de non apportandis Moscho armis, alias in Russiam merces advehendi, evehendique licentiam Viennæ, III. Aprilis die, anno MDLX. impetrarunt, & simul litteras Imperatoris ad Magistrum ordinis, ablatarum frustrâ mandantes restitucionem mercium.

Ericus quoque Rex parenti subrogatus in throno, cum Sueonum instigaretur quarelâ opibus spoliatorum, nequicquam sæpius Ketlerum admonet, ut merces Suecis restitueret, & maris superfederet infestatione. Interea verò Revalienses ob conjunctam cum Magistro piraticam se finitimus odiosos fieri nationibus, has ideo suâ urbe pertransitâ Narviam frequentiores modo navigare, & Moschos in illos reddere magis armatos, frustrâ se in ipsos subsidium à Magistro præstolari, nec esse consultum propter mercaturæ incommoda, illud à Polono in dominum accepto flagitare; Suecum autem ab hostibus liberare & pristinam Revaliæ negotiationem, compulsis eò mercatoribus, posse facilius restituere, considerantes; Legatis ad Magistrum expeditis, omnem ipsi renunciant subjectionem, nobilesque simul Jarviæ, Harigiæ ac Virlandiæ, illam Regi Sueonum deferre inter se deliberant. Surdas igitur aures præbuerunt Magistro, suadenti ut suum imitati exemplum, Polono accederent; velut etiam Magno Oeseliensium dynastæ, hortanti ut Danis, ceu primis conditoribus, se submitterent. Tandem ipsemet Suecus à Polono, & fortassis simul à Dano, fuit admonitus, ne Revalienses cum tanto regni sui discrimine, sub protectionem susciperet, fertur mo-

## CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ

nentibus consensisse, sed non stetisse postea pactis. Enimvero æquam sib ratus occasionem inde oblatam, partem Livoniae in prædam vicinis datæ Principibus occupandi, quod Magister damna Suecis irrogata, nolle compensare, cum Revalienses Suetico se imperio subdere forte non detrectarent, finitis anno MDLXI. comitiis Arbogenibus, sub Aprilis exitum in Livoniæ cum exercitu transmisit prænobilem virum Claudium Christierni ab Aminne, mandans ut nisi ante festivitatem Paschæ Magister damnis satisfaceret Sueonum, ditionem ipsius invaderet subjiceretque, ac simul Revalienses in ditionem, protectionemque susciperet semet oblatores.

Claudius proinde sub Revaliam in Maijo delatus, Magistro alibi agenti mandatum Regis per litteras exponit, & nactus responsum, quod nullus conditionibus esset satisfactorus, bello se accingit. Prius tamen animos exploraturus Revaliensium, ipsis ad colloquium vocatis, suam monstrat instructionem; Quâ illi plurimum animati, datis & acceptis utrinque obligationibus, regno Sueciæ se submittunt, unaque ordo Nobilium in propinquis urbi habitans provinciis, sed acropolim Sueones non adepti Revaliensem, quod ipsam Castellanus, Casparus Oldenbochius, Magistro adhuc fidus, dedere prorsus recusaret, sesquimestri temporis spacio, arx vehementer oppugnata fuit, quam demum Casparus, victualium inopia compulsa pandidit festo D. Baptistæ.

Interim domi Rex Ericus siue festivitatem inaugurationis apparat, ad quam invitati confluunt, sicut etiam variorum principum, & urbium Vandalicarum oratores. Fuit igitur illa Upsaliæ XXIX. Junii die, pompâ fanè maximâ celebrata. Eaque peractâ, novo fratre juramento fidelitatis Rex Ericus sibi obligat, spondentes inter alia, se constitutionibus haud obliquetatuos Arbogenibus, & sanguinem si opus foret pro regis incolumitate profusuros. In ista simul sollennitate, ex promisso decorat Comitum insignibus, Suantonem Sture, Petrum Brahe, & Gustavum Rosa. Atqui Baronum ornat titulis, alios VI. procerum Sueticorum, Olaum Gustavi, Stenonem Erici, Birgerum Nicolai, Gabrielem Christierni, Laurentium Flemingium, & Carolum Holgeri. Ceremonia talis fuit; in Dalmaticis procumbentium tempora ante thronum recens coronati, Rex præcinxit aureis diadematis, jussitque fideles esse patriæ; Hoc autem discriminis inerat creationi Comitum & Baronum, quod rex non his sed illis gladio leviter infixit alapam. Deinde XXXIII. donat Equestri cingulo partim indigenas, partim alienigenas. Vandalicis præterea oratoribus multum exhibit favorem, promittens illis veterum in regno Suetico privilegiorum confirmationem, & missurum se propediem ipsis hujus exemplar. Longè tamen magis quam cæteris benevolum se præbuit Revaliensibus, una comparentibus, his privilegia roborans liberalissima, spe insuper factâ, consuetam ipsis cum Moshcho, aliisque negotiationem gentibus restituendam; Præterea insignem ipsis summam argenti mutuavit pro latifundio Kegelensi, eisdem, oppignorato à Magistro solvit XXX. millia thalerorum, de quibus desperarunt Revalienses; edictumque simul publicavit, quo mandat Sueonibus, omnigenum Revaliam pro pecunia paratâ commeatum deportarent.

Ista Revalienses regia munificentia & benevolentia, non immerito exhilarati, de novo plurimum sibi gratulantur domino, multi quoque nobilium Livonorum in Sueciam profecti, donis & bonis amplissimis donantur. Atqui statuit Suecus, tanto emporio præstantem accessionem regno contigisse; sed pro dolor, evenit posteris ut multo Sueonum sanguine Revalia & Livonia essent comparatae, uberiori vero conservatae.

Secundum coronationis follennia, rex Ericus Stockholmiam XI. Julii reversus, Thencinum Polonici regis legatum ibi deprehendit, cum quo ipsi

## TOMUS SEXTUS.

5

ipſi propter Revaliam vehemens contentio. Atque luculenter ostendit Rex ſe nullo iniquo jure hujus urbis, & illi conterminæ provinciæ dominium accepit, quam Sigismundus illud affectaverit. Gothardus ordinis magiſter, propterea armis urbem Polono subditurus, ipſam XI. Auguſti cinxit obſidione. Aſt, præſidiariæ Sueonum cohortes factâ protinus in hostem eruptione, ipſum indè profligant, machinis duabus bellicis, & totidem vexiliis exutum. Poſteā in milites noſtrates de victoria exultantes, horrenda quædam inter illos oborta lues, misere defævit, atque bina illorum millia per mensis ſpatium, conſuimpſit; unaque ipſum urbis & territorii gubernatorem Laurentium Flemming à Sundholm Baronem, rapiendo.

Advenerat ſub iſtud tempus ad novum Sueciæ regem, Legatus Româ Pontificis, Johannes Franciſcus, Zacynthinorum Epifcopus, & Venetorum indigena, nobilissimus æquè ac doctiſſimus. Etenim Pius IV. obitum Guſtavi intelligens, confidebat hujus filium throni hæredem, facilius quam parentem ad Ecclesiæ gremium Romanæ, cum regno Sueciæ universo perducendum. Hoc igitur ſuper negotio illum, miſſo nunc in Sueciam legato compellavit. Quod impetravit autem nihil erat, ut etiam idem legatus ex conuentu Principum Numburgi protestantium contemptus diſceſſerat, quando cum oratore Cæſaris, huc Sueciam ſe dedit itineri, arbitrati ſunt quidam quòd non Sueonum duntaxat gratiâ, iſtum Pontifex transmiſſet legatum, ſed etiam Anglorum, quòd ſperaret Sueco ad partes suas perimoto, ubi thorū ipſi Elizabetæ contingere, expeditiōrem ſibi futuram Angliæ ſimul conversionem.

Suos legatos Rex Ericus ad universos Europæ monarchas, & Principes modò emiſit, renovatum cum iſpis amicitiam; ac etiam quâ olim pollere eorundem parens ſuus voluerat Guſtavus. Horum porro haud poſtremus fuit Carolus Franciæ rex, nuper fratri defuncto Franciſco ſubrogatus; ad illum perdoctus vir M. Martinus Helsingus, primus mæſ ſocrus maritus fuit ablegatus. Fuit & alter in Ruſſiam expeditus, cum reſpoſo minus benigno poſteā rediit; Sueco enim, quod Livonię quoquè affectaret, Magnus dux indignabatur.

Aſt in Daniam ſplendidior decreta eſt legatio, quâ viri prænobiles, Guſtavus Olai à Torpa Baro, & Thuro Bielchius, fungebantur, in mandatis habentes, ut publicam regi Sueonum fidem per Daniam profeſturo Angliam verſis cum CCC. ſtipatoribus, flagitarent; quam non diſſiculer impetrant, licet Danus connubium illud Sueci cum Anglia ſuis periculofum fore molitionibus, non obscurè proſpiceret. His prætereā commiſſum fuerat, ut cum Frederico de triniſ Sueonum aureis diadematis, inter insignia Danica legitime minus ab iſpo uſurpatis, placide expoſtularent; veterem de Scania, Hallandia & Blechingia, multo quondam argento Suecorum emptis, controverſiam inculcarent, Gotlandiæ tamen reſtitutionem ſeriò magis flagitata. Verum non diſſicilis fuit Dano ad hujusmodi gravamina reſpoſio, demonstranti quibuslibet de limite controverſiis in transactione Bremſebrogenſe quinuagenarium eſſe silentium, ante XV. annos impoſitum, quod non liceret rumpi, citra grandem nominis ſuētici infamiam. Iſtoque cognoscens Fridericus à coſobrino reſ novas ſibi metuendas, arma tacitus occēpit cudere.

Mutavit & Suecus Anglicæ modò accinctus profectioni, conſiſtuum per Daniam itineris ineundi. Atque ex portu Elſburgensi, cum XIV. navium claſſe Calendis Septembris ſolvit, fratre ſtipatus Carolo, & novis Comitibus, Petro Brahe, Guſtavoque Rosa. Domi autem status Reipub. miſerabilis fuit, quod bellum inter Suecos & Livones flagraret; & cum Daniſ, Poloniſ, Moſchiſ, ac Lubecenſibus futurum fumum ſcintillasque oſtentaret. Ideo Sueonum uſpiria, navigationem deteſtantium

Anglicam, Deus clementer exaudiens, tantam objecit regi Erico tempestatem, ut postridie conversis in patriam proris fauces repetendum ipsi fuerat Elsborgenses. Quandò culpam reversionis Petro Brahe, & Gustavo Rosæ, comitibus imputavit, graviter eam propter in illos invectus. Quam à se derivantes, probant ut ipsiusmet mandato naucleros, vela quantocytus litori patrio convertisse. Sed placatus, tandem iter novum per Daniam & Flandriam proposuit ad Anglam; Missisque per Sueciam illico edictis, nobiles regni convocat Ienecopiam.

Dum verò ipsi confluunt, Regem per Daniæ oras deducturi, cognoscit rex Ericus in Livonia à suo exercitu occupatam esse Padisensem munitionem. Atqui non difficilem fore Parnoviæ dditionem interventu pecuniæ, simul intelligens, XI. Octob. Falecopiâ Vestrugothiæ, XX millia thalerorum Claudio Christierni, Sueticarum copiarum ibi ductori, transmisit, ut iis urbem compararet. Vichiam similiter & Oeseliam, cum arcibus imperio suo additurus XV. Novembris, Gustavo Finchio ad ducem Magnum legato expedito, ipsum hortatur ut Suetico se axiomati cum ditionibus illis submitteret, fratris Friderici desertâ amicitiâ, cuius animum sibi minus æquum foret expertus in Iutiæ Holsatiæque nuper divisione, quas provincias ille totas occupasset, & cohæredem ad barbaras Livoniæ gentes, velut in exilium ablegasset, habiturum illum auxilium & opes in Sueciâ, si monitis obtemperaverit. Verùm Dux Magnus fratrem consobrino præferens, hunc respuit dominum; & interim rex Ericus Ienecopiam ingressus, nobiles illic congregatos offendit. Omisſa autem propter anni tempus incommodum profectione Anglicâ, ordini nobilitatis constitutiones quasdam proposuit, & publicat quantum subsidii à quolibet nobilium bello, extra vel intra regnum gerendo, ex redditibus annuis ferri deberet, & quanto tempore sumptibus hisce propriis forent singuli militaturi. Intollerabiliora illa nonnulla cum essent, primam horum indignationem contrahit.

Deinde subverens rex Ericus, nè elusus ab Anglis, tandem repulsa apud Elizabetham pateretur; sicut etiam ex animi quadam inconstantiâ, quæ in aliis similiter negotiis regis hujus sæpenumero obfuit fortunæ, cœpit cum Scota meditari connubium, licet in Anglicum negotium argenti plurima talenta expendisset. Quapropter comitem Petrum de suscipienda in Scotiam legatione, nunc sollicitat, quæ deinde in sequentem annum fuit prorogata, Rexque Stockholmiam autumno finito remeavit.

A Friderico Danorum rege XII. Octobris, fuit soror Dorothæa Vilhelmo juniori, Brunsvicensium ac Lunenburgensium principi sollenniter elocata. Die autem XI. Novembris, M. Johannes Thausonius, Episcopus in Jutia Ripensis, & primus reformatæ in Dania religionis author, vitam in hoc mundo terminavit.

Rex Sigismundus, Polonorum monarcha, non obscurè intelligens Johannem Finlandiæ principem insigniter nummatum esse, Catharinam illi sororem confidit nupturam, hujusmodique affinitatis animatus fiduciâ, argenteum flagitat belli subsidium, contra Moschos gerendi, & aliquot Livoniæ arcibus Johanni pignoris loco assignatis, CXXIV. milia thalerorum obtinet.

Anno M. D. LXII. Rex Ericus sollicitus de pace cum Moscho itâ firmandâ, ut Revalienses, & reliqui Livonum Sueciæ adhærentes illâ pariter compræhenderentur, timidi alias ab hoste se infestari possè, novâ Moschum hoc super negotio compellat legatione. Controversis etiam cum

## TOMUS SEXTUS.

7

cum Dano articulis, ut transigerentur, alios legatos in Daniam misit, quorum potissimum fuerat Steno Erici. Disputatum igitur Hafniæ cum Danis de violentâ trium Coronarum usurpatione, & Sueonum in Scania, Hallandiam, Blechingiamque jurisdictione aliquomodo vehementius quam à prioribus legatis factum. Vicissim exprobrarunt Dani Suecis, sumpta ab Erico insignia Daniæ & Norvegiæ, affectatam Esthoniæ, cuius vetus Rex Daniæ patronus, & sollicitatum in partes Ducem Magnum Friderici regis fratrem. Quandoquidem igitur Sueci viderunt ludi à se operam, & Danos actionem aversari, inde XVII. Februarii discedunt.

Interim promissa Vandalicarum urbium negotiatoribus concinata fuit privilegiorum confirmatio, & hujus exemplar mense Aprili ad illos destinatum. Novas fermè immunitatis ipsis conditiones Rex concessit, veteribus abrogatis, regno Sueciæ anteà damnosis; haberent enim facultatem in primariis Sueciæ, Gothiæque civitatibus, Stocholmiâ, Calmarniâ, Sudercopiâ, Norcopiâ & Abogiâ, cum incolis accolique negotiandi, citra omnem vectigalium solutionem. Sed lex addita erat, ut Sueones pari conditione gauderent vicissim in eorundem civitatibus; & esset illis liberum in singulis comparare ædes, usibus etiam regni unam deputandam. Deinde opem Vandalicis in quoslibet hostium Rex pollicetur, & ille quoque mutua in necessitate omni juvandus, militem vero in civitatibus ut colligeret stipendiarium nulli negarent. Quod autem mercaturam Moschoviticam attinuerat, illam non alibi quam Revaliæ, & Viburgi, tractarent.

Isto proinde Lubecenses interdicto ad Cæsarem oratores questuros alegant, & qui veniam ab ipso flagitarent in Russiam cum mercibus, illo non offenso navigandi. Verum Suecus XXV. Aprilis edictum promulgavit in ipsis Vandalorum emporiis etiam publicatum, & illo, sub poena mercium amittendarum, Ruthenicam prohibet navigationem, probans existere Christianitati noxiā, & Revaliensibus minus lucrosam; quibus veterem omnino vellet restitui negotiationis conditionem, simulque insignem in mare classem expedivit, editi transgressores mulctatum.

Ita rex Ericus præbuit ansam bello, cum Lubecensibus postea gesto. Quandò unà frater regis Princeps Johannes non minorem dedit caussam bello Danico; Etenim veris initio conspicatus in portu Stocholmensium navem Danicam, tribus Sueciæ coronis, cum Daniæ simul stemmate insignitam, indeque vehementer efferatus, arrepta bipenni, puppim demolitus, insignia deformat, & regem Fridericum ad iram provocat gravissimam. Quam Dux pro tempore contemnit, non fratris solum eximia potestate, sed etiam inchoatâ cum Polono affinitate, plurimum animosus.

Quippe princeps Johannes Finlandiæ natus ducatum, ut minus fraternalis & Moschoviticæ timeret insidias, Polonum suis addictum partibus reddere haud imprudenter deliberavit. Nec commodiis quam matrimonio se voti fore compotem existimans, illustrissimam Regis Sigismundi filiam, ex Bona Sfortia Catharinam expetiit, ut præfatus sum, conjugem. Moschum porrò habuit rivalem, cui quod virginem ea nolle conditione ducere, ut filii ex ipsa, non priori conjugé suscepit, hæredes essent throni paterni, Poloni magnopere indignati, legatis sponsa missis adducenda, Equisonem cum jumento candido & phalerato obviam expediverunt, istius propterea Moschum connubio indignum insinuantes, & nefariam cum jumentis libidinem eidem exprobrantes. Hunc igitur ille despectum ita vindicavit, ut armis Polono illatis, eum amplis-

amplissimis Lithuaniæ ditionibus spoliaret, summopereque humiliaret. Atqui Princeps Johannes non repulsam passus, benevolo regis Erici fratri consensu, Polonicam hinc amicitiam captantis, & sponsum sua epistola fideliter commendantis, XXIV. Maji legatos in Poloniam in hujus negotio connubii transmisit, insignes nobilitate viros Henricum Claudii à Kanchas, Johannem Beronis, Equestri conspicuum dignitate, & Zachariam natione Polonum, ac functione Ducis Cancellarium. Haud verò minus illustris matrimonii cupidus rex Ericus, approbatione senatus, Reginam Scottiæ Mariam, suo destinat thalamo consortem, hujusque nomine matrimonii, Comes Petrus, Carolus à Mornaj, & Martinus Helsingius, tempore veris in Scotiam fuerunt alegati; quibus pro viatico, V. thalerorum millia sunt deputata, & præter nobilissimas pellium decades non paucas, permagni precii monilia cum legatis destinata, Reginæ loco arrhabonis offerenda.

Post istorum nihilominus abitum, quorundam seductus adulatorum persvassione, venustatem Lotharingæ, avum, vel proavum maternum habentis, Christiernum tyrannum, magnoperè celebrantium, alios expedit legatos, non minus auro argentoque oneratos, ad Imperatorem virginis tutorem, qui beneplacito cum responso inde postmodum redierunt, nec magis quicquam effecerunt. Sed Annam Erici sororem Georgius Johannes, Rheni Palatinus, & Dux Bavariæ, conjugem flagitavit, futuroque Suecus sororio datus responsum, illuc modò Simonem Wetterum transmiserat.

Hactenus verò Lubecensium oratores apud Cæsarem constituti, IV. Maji die, ipsius obtinent diploma, quo Narvicam illis indulget navigationem, velut Germaniæ proficuam, nolens ideo in gratiam Livonum, amplius imperio haud subjectorum Ruthenicarum Germanos mercium defraudare commodo, ut neque Lubecenses earundem lucro. Ast nec dum acceptis Ferdinandi litteris, edicto respondent Lubecenses Suetici regis, XXIII. Maji, permultis contendentes argumentis, Ruthenicam sibi permittendam navigationem, nihil tamen efficientes. Nam rex Ericus non paucas Lubecensium naves mercibus onustas Ruthenicis principiō æstatis captas, sibi vendicavit, & partim Stocholmiæ, partim Revaliæ, illas exoneravit, fiscumque inde plurimum locupletavit.

Quocirca Lubecenses hinc magis consternati, fœderatas convocant urbes, festo sacratissimæ Trinitatis illic comparentes, & indè litteris ad Suecum datis, illi suadentes, ut priscis subscriberet privilegiis civitatum Vandalicarum, & naves mercesque ablatas restitueret. Voto autem suo frustrati, de Sueonum Rege in conventu ordinum Francofurti Imperialium summoperè querentur, & litteras solum Cæsaris, Electorumque, assequuntur, quibus Regem Ericum familiariter admonent, ut in gratiam cum Vandalicis redire non gravaretur mercatoribus. Nec cum Imperatore Lubecenses, & ipsius assessoribus, duntaxat periculosa Sueonibus haberent molitiones, sed etiam cum rege Danorum.

Proindè quid à consobrino expectandum foret exploraturus, in Daniam XXX. Maji, suum transmisit Secretarium, Laurentium Canuti, & convocatis Stocholmiæ Sueticis optimatibus, istam cum Dano controversiam ponderat, simulque procerum impetrat consensum XVI. Junii, ut Angla super matrimonio iterum compellaretur, quod ex ipso plurimum Sueonibus subsidii foret in hostium quoslibet expectandum.

Ingens tamen fuerat regis Erici levitas, uno eodemque tempore ternas ambire sponsas, Scotam videlicet, Lotharingam, & Anglam, nimiaque paterni thesauri prodigalitas, tot opum cumulos in hujusmodi expen-

expendere, velut per jocum, legationes; & aliud intendere. Non eâ profecto mentis inconstantiâ fuit Dux Johannes, qui sola procatus in Polonia, & reversis modò legatis, gratissimo inde responso oblectatus, eoque ad nuptiarum sollennia vocatus, se accingit profectioni.

Per id quoque tempus Sueticarum in Livonia ducor copiarum, viri admodum strenuus, Claudius Christiernius, cum argento Parnovienses non posset expugnare, ferrum corripit, & mandato regis prope festivitatem Pentecostes, illos vehementer obsidet. Qui simul intus omnium rerum penuriâ pressi, foris oppugnatione defessi, nec ullâ subsidii à Magistro vel rege Sigismundo propediem ferendi spe recreati, vel animati, obtentâ vitæ ac bonorum securitate, veterumque privilegiorum immunitate, seipso, & urbem suam Suecorum subjiciunt imperio.

Illos vero rex Ericus, magnoperè hujusmodi oblectatus ditione, omnigeno urbis defendendæ apparatu firmavit, & insuper X. milibus Rigenium marcarum donavit. Alio præterea nuncio fuit Suecus non minus nunc recreatus; Siquidem legati prius in Russiam expediti, domum modò reversi, bimam cum Moschis pacem, nomine Sueonum & Livonum simul sancitam retulerunt, illaque vigente, magnam Livoniæ partem rex Ericus, regi Sigismundo, Magno & Gothardo, subducere moliebatur. Itaque Moschus destinatis vicissim ad Suecos legatis, per hos pacem consueto Ruthenis more, Stocholmiæ XIII. Junii roboravit, ut interea occupatas in Livonia munitiones melius firmaret, & belli Suecos & Polonos inter de Livonia reliqua suscepit spectaret catastrophen, horumque alterum postea commodius impugnaret, & totam provinciam subjugaret.

Jam porrò Dux Finlandiæ Johannes itineri accinctus Polonico, vel potius Lithuanico, ab rege Erico fratre obtinuit, ut in sua ducatus absentia, militaribus non esset onerandus contributionibus ac expeditionibus, simulque honorificas ad regem Sigismundum litteras, & aliquot equitum turmas, quæ ipsum per Livonię cum securitate & dignitate forent deducturæ; Quæ tamen magis illi fuerant impedimento, quam adjumento. Serò autem nimis rex Ericus animadvertis, quam periculosa sibi esset ista Ducis Finlandi cum Polono affinitas, idque propter veteres cum fratre simultates, & novas de Livonia cum rege Sigismundo belli tempestates, transmissis quantocius post D. Johannem nunciis & litteris, ipsum frustrâ revocat. Quandoquidem is priori fretus licentiâ, & benevolentia, navi protinus consensâ, XIX. Junii Dantiscum versus cum insigni navium frequentia, & magnificentia, velificaverit.

Post oëtiduum delatus sub Gedanum, in portu diebus XIV. litteras à Polono fidei publicæ expectavit, illisque tandem acceptis, à Gedanensibus insigni pompa deducitur in urbem, & conviviis spectaculisque aliquando excipitur. Quo temporis intervallo, rex Ericus domi magis in suspicione propter contumacem fratris abitum confirmatus, nec parum à Ducis osoribus simul instigatus, in conventu Ordinum, mense Julio Stocholmiæ celebrato, multiplicem de illo querimoniam instituit, & Statuum approbatione simul constituit, auditâ Laurentii Canuti nuper reversi relatione, ut tertius in Daniam legatus mitteretur, Thuro Bielche à Salestad, cum Dionysio Beuræo, & Laurentio Canuti, qui X. Julii Daniam versus iter arripuerunt. Sed Suecus inter spem metumque pendet, an regem Fridericum habiturus esset amicum vel inimicum ignorans, atque nō imparatus à Danis oppimeretur, in iisdem XIV. Julii comitiis, ilam Jenecopiæ anno priori ordinationem inchoatam consummavit; Quâ Nobiles obligarentur, ex quibuslibet CCC. reddituum annuorum marcis,

ast Coronæ vasalli ex CC, cataphractum Regi belligeraturo providere semper equitem, & in peregrina illum trimestri tempore militia sustentare, verum domesticâ usque belli finem providere illi commeatum.

Huic quidem constitutioni, Stocholmiae vel Upsaliæ, ut quidam sentiunt, promulgatae, Nobilis ordo velut minus tolerabili, magnopere in primis adverfans, ad tantam permovit regem Ericum indignationem, ut ibi contumaces neci destinasse perhiberetur, nec tamen illam perpetrasse, intellectâ rebellium obedientiâ. Fratrem quoque Magnum Ostrogothiæ ducem, velut transgressorē constitutionis Arbogianæ, accusans, ipsius servitores quosdam, huic magis culpæ affines, in vincula conjecit, sicque istum etiam sibi fratrem quodammodo adversarium objecit. Atque princeps Johannes non minus Regi offensus, ob præfatam ex itinere concessâ revocationem, dissimulat, & viam continuat Dantisco Marieburgum; inde Fruenburgum, seu Varmiam; post Brunsbergam, utrobique ab Hoso ditionis antistite insigniter exceptus, & tandem Regiomontum properat.

Quando similiter Ericus rex non diutius suum cum Angla connubium ratus prorogandum, & licentiâ fretus procerum nuper Stocholmiae obtentâ, XXII. Juli Nicolaum Gyllenstern, regni Cancellarium, & Benedictum Gylte, velut paronymphos, ad Elizabetham ablegavit; Quos tamen actutum legationis pœnitens, Elsburgó revocavit, nec ipsos, aliasve ullos impotterū eò transmisit.

Interim Georgius Johannes, Rheni Palatinus, benigno Regis Suetici nuncio non parum exhilaratus, Scondiam versus gressum accelerat, & XVIII. Augusti Stocholmiam ingressus, Annam Erici sororem illustrissimam venustissimamque sibi desponsavit, & domum postea repedavit, anno sequenti ad ipsa nuptiarum sollennia opulentior & magnificentior redditurus.

Eodem propemodum tempore comes Petrus ex Scotia regressus, Regi optatum indè responsum Decembri mense adventurum significat. Nec ingratum ex Lotharingia, velut præfatus sum, prius consequbatur, eamque potissimum ob caussam ibi Suecus, prout non improbabilis existimo, procabatur, ut proneptem vel abneptem Christierni regis conjugem adeptus, avitam hujus jurisdictionem in Daniam & Norvegiam, auxilio Cæsaris, aliorumque affinium, armis prosequeretur, ac utroque regno potiretur.

Non multò dissimilem habuit intentionem Christopherus D. Magnipolensis, & coadiutor Archiepiscopi Rigensis, qui huic diœcesin subdaturus, Imperatoris opem flagitavit, & spe frustratus, illam à Sueonum Rege, unâ sororum ductâ in matrimonium, sibi ferendam haud dubitavit.

In Sueciam propterea hoc anni tempore perveniens, suum Erico votum manifestat, & despontatâ ipsius sorore Elizabethâ, subsidium impetrat; ast quodam remoratus infortunio, post XVIII. annos cum ipsa nuptias primum celebrat. Verum ipsemet Rex non Archiepiscopo quicquam, sed Gothardo ordinis Magistro Vitenstenum erupturus, illud per autumnum operâ Claudi Christiernii graviter oppugnavit, quod tandem Johannes Grollius, fame adactus, & nullas aliundè suppeditas nactus, Sueonibus assignavit. Itaque cum rex Ericus non paucas urbes, arces & provincias in Livonia hactenus obtinuisse, nempe Revalensium, Parnoviensium, & Vitenstenensium, Suantonem Sture Comitem modo illarum constituit gubernatorem.

Quibus fortunæ successibus Rex plurimum gavisus, novâ insuper lætitâ cumulatur; Siquidem à reversis ex Dania legatis non citra voluptatem intellexerit, secum in gratiam consobrinum rediisse. Atqui non mul-

tò fuit diuturnior ista lætitia & amicitia, quam Protoplasti mora in Paradiſo; Quandoquidem Danus post nostrorum inde abitum, venientibus illuc primum Moschi, & deinceps Poloni, legatis, ac fœdus secum in Suecum pangere volentibus, protinus consenserit, ideinque Lubecensibus persuaserit.

Interea verò Dux Johannes Regiomonti quatriduum moratus, indeque Calendis Septembris profectus, ab aliquot turmis equitum Polonicis, Prutenicis, & Curlandicis, ad Caunam Lithuaniae civitatem, ornatissimè dederetur. Ibi autem ipsemet Sigismundus rex cum flore Poloniae ac Lithuaniae occurrens, sponsum perducit Vilnam, post biduum, IV. videlicet Octobris die, quâ decuit sollennitate, ac dignitate, Catharinæ sponsæ copulatum.

Memorat quidam, nuptialibus in basilica sacris peractis, dum inde Neogami progrederentur, horribile viſum in cœlo prodigium, nempe fererum in una caput hominis obtruncatum, in altera virgam spectantibus ostentans extremitate.

Secundum nuptias porrò Dux Johannes cum leviro ibi aliquandiu conversatus est, ac demùm ipsi valedicens, cum nova nupta Rigam versus contendit mense Novembri; ubi non intromissus, ad munitiones & ditiones divertit, à leviro in pignus acceptas, ipsisque cuidam Johanni strenuo militi non tamen ingenuo commissis, Parnoviam festinat, ac ibi cum paucis in urbe suscepitus hospitio, fratri erga se indignationem non obscurè cognovit; Ipsam tamen non magnoperè formidans, indè Revaliam pergit.

Quò tum temporis ex Suecia Dux Christopherus cum regiis properavit litteris, Suetico mandantibus ibi Polemarchæ, ut sibi præsulem Rigensem impugnaturo, ferret suppetias. Suæmet etiam cauſæ Suecus, Lubecensium columnis in foro Cæſaris nimium prægravatae, tempestivè opitulaturus, Nicolaum Gyllenstern, ab Anglica nuper profectione revocatum, transmisit Francofurtum; ubi Ferdinando, quam æquis esset Rex Sueonum permotus rationibus, ad prohibendam Vandaliæ mercatoribus, Narviæ cum Ruthenis negotiationem, & quam illi peterent intolerabilem in Suecia mercandi potestatem, luculenter exposuit, simulque forſitan de matrimonio Lotharingæ iterum proposuit.

Verūm antè legati eò adventum, Imperator VII. Novemb. suum regi Erico destinavit cum litteris tabellarium, quibus cum ipso clementius expoſtulat, ob maris infestationem, & impeditam ad Ruthenos navigationem. Nec sibi persuadens Suecus Lubecensium partibus Danum amplius adhærere, in omnibus regni sui emporiis, pacem cum ipso nuper constitutam, sollenniter curat publicandam, operâ æneatoris, & cadiutoris, Sueonibus manifestans, quaslibet utrinque controversies, illâ super tribus coronis exceptâ, amicè propediem componendâ, esse transactas.

Atqui paucò post tempore intelligens Dani cum Moscho & Polono factionem, consobrino graviter succenset; Magis tamen fratri Johanni, præcipue postquam modò primum inaudiret ipsum auri tantum novo focero suppeditasse, omnino existimans sibi à fratre, Danis & Polonis forſitan confederato, occultas tendi infidias. Quarum insciens Princeps Johannes ſuspicionum, & prout arbitror, inſons, optimatibus Revaliensium ſalutatis, & bellè admodum tractatis, indè navigio Abogiam contendit, quam ipſo Theophaniæ incolumis attigit pervaſilio, totamque Nati Salvatoris festivitatem hilariſ transigit, cum illuſtriffima probifſima que thalami conſorte, Catharina.

Recenset porrò quidam ex Scondiæ Historicis, Principem Johannem eā, præter alias, conditione matrimonio Catharinæ potitum, quod leviro promiserit, Catholici per Sueciam dogmatis restaurationi & propagationi, se pro viribus evigilaturum. Sed minus vera mihi assertio hujusmodi videtur, cum Princeps Johannes isto fortassis tempore magis Calvinianæ, in Anglia nonnihil imbibitæ, quam Romanæ fuerit deditus religioni, & acerrime in quolibet fermè congressu confessuque adversus dogma Catholicorum disputaverit. Illud tamen non inficior, libera illum religionis exercitia uxori Catholicæ, & hujus sectatoribus spopondisse. Sicut neque diffiteor, Principem Johannem deinceps assidue cum istius fidei assertoribus conversando, conferendoque, non parum ex dogmate hujusmodi, quemadmodum ex operis progressu non obscurè conitabit, sensim imbibisse.

Anno MDLXIII. Princeps Johannes amicissimis compellans regem Ericum fratrem litteris, suum ipsi denunciat redditum, ad repotiaque illum honorifice Abogiam invitat, aut si non liceret ipsimet per negotia, illam suâ præsentia ornare festivitatem, ut illustres sui loco illuc vicarios alegare non dedignaretur. Sed utrumque Rex mordicus recusat, & IV. Februarii expeditis ad Ducem Jacobo Laurentio, atque Hermanno Bruscherio, ipsum vehementer incusat, propter mutuatam regi Sigismundo hosti patriæ conjurato tantam pecuniam, illi simul exprobrans, quod regiâ dehortatione contemptâ, Vilnam adiverit, & formidolosum nimis huic regno connubium iniverit, pariterque Ducem Johannem insimulans conspiracys adversus patriam cum Polono & Dano, fœderatis in Sueoniam hostibus, clanculum institutæ.

Porrò cum asperius à fratre super his accepisset, meritò responsum, Stockholmiam ipsum peremptoriè ad regium citat tribunal, objectis responsorum ibi criminibus. Qui postulatâ, & non impetratâ sufficienti fide publicâ, comparere omnino recusat. Indeque non obscurè animadvertis, sibi bellum à Rege inferendum, opem leviri regis Sigismundi, Ducus Prussici, & aliorum implorat affinium; suas obfirmat munitiones, ac potissimum Abogiam, & Finlandos novo sibi obligat fidelitatis jureamento, ad subsidium suo Principi ferendum haud imparatos.

Nec ignorans rex Ericus, fratrem hujusmodi fretum suppetiis, animosius rebellare, atque comperiens Moschum, propter occupatam à Polonis Livoniam, & denegatum sibi cum Catharina matrimonium, modò Lithuaniae ditiones infestare, urbemque ibi primariam admirabili potentia impugnare Polociam, transmissis in Moschoviam legatis hoc tempore, Benedicto Gylte, ac Gustavo Finchio, Tyrannum invitat ad fœdus contra Polonum, velut hostem utriusque communem, tempestivè secum pangendum.

Interea Danus sub prætextu pacis inter Scondios firmandæ, quid Suecus moliretur exploratus, suorum unum Confiliariorum, nempe Corficium Wlpheldium, in Sueciam expedivit legatum. Qui mense Februario regem Ericum Upsaliæ conveniens, & molitiones regis Friderici quodammodo ipsi proditas subolfaciens, hanc à Rege suo culpam derivare plurimum laborat, & inviolabilem inter Suecos ac Danos fore amicitiam subdole asseverat. Hujus itaque seductus rex Ericus persuasione, fide à consobrino publicâ non impetratâ, XV. Februarii, hinc per Dania suos destinat legatos, Stenonem Ericum, Gabrielem Christierni, Liberos regni Barones, & Georgium Finchium, in Hassiam abituros, Christianamque Lantgravii filiam, sibi conjugem postulaturos.

Minus tamen securam mari, terrâve, legati non obtento in Dania salvo

salvo conductu, sibi fore profectionem arbitrati, cum Hafniam pervenissent, illum à Johanne Frisio, regni Cancellario, flagitarunt. Is autem callidi admodum ingenii homo, tantam Suecorum legationem habens suspectam, in absentia regis Friderici, sub vario prætextu legatos æquo diutius illic demoratur, nunc suadens, ut Regem ea super re convenirent; nunc perhibens hujusmodi ab illo litteras ipsis propediem adferendas, ut interim expiscaretur, cujus gratia negotii Germaniam adirent, vel illud à Corficio ex Sueonia reduce liquidius intelligens, quod patriæ utilius deprehenderet, Regi suo juveni suaderet, Legatis consobrini exhibendum.

Nec dolus ipsos latuit, qui propterea fraudem detestati; de tanta ibi mora suis negotiis inimica protestati; jure gentium, pace inter regna nuper firmatā, & propinquā Regis utriusque consangvinitate animati, non expectato diutius hujusmodi conduētu, abitum inde parant. Ideoque Frisius in sua magis confirmatus suspicione, & peregrinis citra licentiam abiturientibus magnopere indignatus, frequentibus ac frementibus ad portas urbis mandat excubitoribus, ut Suecos exitu prohiberent. Qui jussa minus æqua executi, appropinquantes occiduae mox portæ legatos, verbis & verberibus, ad pristinum remeare diversorum, licet de tanta palam vehementerque protestarentur violentia, & hujus vindictam adversariis luculentius interminarentur, compellunt. Quam Frisius nostris contumeliam, Rege absente, non tamen insciente, sed facinori conviente, irrogavit, & cruentissimo ita bello septennali primum cecinit classicum.

Verum enimverò né hujus fama injuriæ in Sueciam propagata, similes Corficio injiceret ibi compedes, sedulo invigilat, & captivos magis spe liberationis, quam metu dilectat, lautiisque tractat, donec incolumem ex Suecia reciperet Wlfeldium. Qui singularem isto temporis intervallo Sueonum expertus benevolentiam, indeque sub finem brumæ in patriam reversus, regi Friderico significat, haud ipsi diuturnam cum rege Erico pacem ullenus futuram, nisi trium usū coronarum se quantocius abdicaret, simulque Gotlandiam illi resignaret. Ac proinde Legatorum non improbat captivationem, & præsertim Stenonis, affirmans ipsum, maximum hujusmodi consultorem dissensionis. Quamobrem ille cum sociis arctiori mandatur custodiæ; Servitorum quidam contumaciores, publicis aliquantis per carceribus mancipantur; Sarcinæ penitus examinantur, litteris potissimum spoliatae, & tandem ipsimet legati Calenburgum expediuntur custodiendi, ibique fuerant integrum detenti per biennium.

Danus porrò missis actutum litteris ad Suecum, illorum audaciam & contumaciam graviter exaggerat, tantamque pröpter violentiam, non injustè traditos custodiæ affirmat. Atqui rescribens mox rex Ericus, suos frustrè excusat, nec illis libertatem impetrat, licet crebris regem Fridericum litteris de hac postmodùm sollicitaret. Immò tantum abest, ut hos Danus liberaret, ut alios à Sveco deinceps per Daniam ablegatos Germaniam versus homines illic detinere non formidaret, né ipsis quidem ex Suecia parcens institoribus, licet ibi consuetis negotiari; Largamque nimis hoc paecto Suecis præbens bellandi occasionem. Ipsomet autem primam belli aleam jaeturus; Suecum Oceano depulsurus; & mercatoribus occiduum mare accolentibus, vectigalque in freto Cymbrico pendentibus, deque Sueonum grassatione querentibus, securam præstiturus in Baltico navigationem, initio veris XVI. navium expedit in mare classem, ipsisque Jacobum Brokenhusium præficit Admiralium. Quæ, ductis citra nocumentum plurimis mercatorum occidentalium onerariis, ad diversa Vandalorum emporia, nec Sueticis ullibi naviis comparen-

tibus, quæ propter maris fauces adhuc congelatas, domi remorabantur, sibi dominium Pelagi vendicarunt, ac velut hoste jam inde fugato, triumpharunt. Terrestrem quoque victoram sibi rex Fridericus de rege Erico haud dubiam pollicebatur, quod præter non paucos Germaniæ Principes, Moschum & Polonum haberet adjutores, Vandalique forent cives Regis Suetici osores; Velut etiam, quod Suecia domestico arderet incendio, vehementiores quotidie flamas proferente.

Sed nihilominus imperterritio Rex Ericus animo perstat, & ne plurium se hostium objiceret mucronibus confodiendum, ac penitus obruendum, summoperè invigilat. Atque præcipue amicitiam Imperatoris Romani captans, cum interea mense Februario præfatas ipsius literas, in caussa Lubecensium conscriptas, accepisset, his V. Martii die Arosiâ respondit amicissime, perfectissimè tamen, & nervosissimè. Itaque Cæsar his Sueci literis, non solum à legato ipsius Nicolao Gyllensternio, de injusta Lubecensium caussa plenissimè informatus, regis addictior partibus evasit, & Sueticæ exemplar apologiæ mercatoribus approbandum, vel confutandum transmisit. Hoc verò illi sunt conati, minus tamen feliciter, prout ex Lubecensium literis ad Imperatorem hac de materia XVII Septembbris postea exaratis, comprobatur.

Quibus præterea rationibus impelleretur rex Ericus ad Livoniæ impugnationem, Cæsari, velut ordinis Theutonici summo protectori, copiose simul demonstravit, illarumque fretus aequitate, dum Polonus bello distineretur Moschovitico, VIII minores Livoniæ munitiones, quas inter fuerat Karchis, Duci oppignorata Johanni, primis hujus anni mensibus subjugavit. Rex Sigismundus itaque à tantis hostibus impugnatus, insuperque de periculofo sororii statu in Finlandia dominantis, informatus, IX Aprilis Lubecensibus perscripsit, quos instigat, ut aliis Vandaliæ municipibus in auxilium adhibitis, veterem defenderent libertatem; Sueco ipsam pessundanti frenos injicerent; Pelago hostem excluderent; nec ulla per mare subsidia huic adferri permitterent; Spondens, quoad Livoniam, terrestri militia se conatus infrastructurum Sueticos, Danumque ex sua parte idem promisisse asseverans.

Verùm Rex Ericus, ut internis primum tumultibus sedatis, externis securius congrederetur hostibus, initio veris Andream Sigfridum, mediocri stipatum exercitu, misit in Finlandiam, ut expugnatâ quantocius Abogiâ, Ducem Johannem fratrem, cum uxore, sectatoribusque, captivum, vivum aut mortuum, inde perduceret in Sueciam, & Finlandos regio morigeros imperio efficeret. Nec animum Dux viso hostium adventu despondens, se defensioni suæ, suorumque accingit, & trimestrem sustinet obsidionem, interea suppetias ex Polonia, Prussiaque nequicquam expectans promissas.

Quo temporis intervallo, novos destinat in Hassiam Legatos rex Ericus, sibi Christinam ibi sponsam adducturos, hosque Jacobus Baggius per mare, instructissimâ XII navium classe, mandato regio suscepit Rostochium securè transvehendos. Qui Stocholmiâ IV. Maji cum triumpho solvit, & in Oceanum provectus, sub Borenholmia sacris Pentecostes feriis, in præfatam Danorum incidit classem. Quando Sueci, Danique, multo efferati conspectu, primum eminus, & mox cominus, se vicissim telis impetunt. Acerrimè verò utrinque pugnatur aliquandiu, & tandem Sueones, licet navium, & militum numero, longè forent hostibus inferiores, tamen victoriâ superiores evaserunt. Nam Admiralio nobili Jacobo Brochenhusio, cum nonnullis Capitaneis, & DCCCC. classiariis in suam redacto potestatem, prætoriam, ternaque insuper alia occu-

occuparunt permagni valoris navigia, reliqua quassarunt, fugarunt, & DC epibatarum trucidarunt.

Nec minus à nostratis in Livonia hoc tempore dimicatur strenue; Tamen currentibus rex Ericus calcar subditurus, magisque inflammaturus, gloriæ igniculis accensos, horum ductori Carolo Mornæo, XIV. Maji armillas C. argenteas, & L. torques, venustè admodum elaboratas, transmisit, iis militum donandas, qui in arcium expugnationibus animosius reliquis se gesfissent.

Baggi autem commilitones solâ pro tempore ad oreâ contenti, Danis, & horum naviis Stocholmiam perductis, priorem reputant navigationem, Rostochiumque delati, legatos exponunt ad Lantgravium profecturos, quorum ibi expectant XIV diebus redditum. Nec mercatoribus ex Dania illac ad nundinas ultrò citròque interim comitantibus, quicquam danni adferunt, contestantes se pacis inter Scondiæ regna constitutæ, nolle primos existere transgressores, & simul protestantes, Danos propriæ sub Borenholmia cladis fuisse authores. Domi etiam Rex ipsem, secundum istam victoriam, XXIII Maji, in Daniam Georgio Gyllensternio Legato, & Laurentio Canuti Secretario, faciali transmissis, cum Friderico de violentia Suecis Oceanum pacifice tranantibus, irrogatâ, paceque violatâ, protestatur, ipsum ad controversiarum transactionem, captivorum permutationem; pacis, vel prolixiorum induciarum constitutionem, serio hortatur. Ast Danus clade nimium inflammatus Borenholmensi, saluberrimâ consobrini admonitione contemptâ, convocatorum assensu Ordinum, in Sueones bellum decernit.

Quamobrem ex Dania, & Norvegia, Germaniaque potissimum prægrandem illico congregat exercitum, fœderatos de subsidio Principes ferendo sollicitat, & Lubecenses, velut Sueco aliâ infestos, ad hanc invitat militiam. Nec difficuler ab illo persuasi, habito protinus Segebergæ cum aliis Vandaliæ mercatoribus hac super re colloquio, & promissio ipsorum de auxiliis ferendis, accepto, Regis consentiunt admonitioni, classique Danicæ XII. adjungunt naves, rebus ad prælium necessariis oppido instructas. Ab his proinde miles, & aliunde catervatim, turmatimque, quotidie Hafniam confluit, qui polemarcham nactus Gunterum à Suanburg comitem, miram somniat de Suecis victoriam, horum, & præcipue regiam animo devorat opulentiam; arces in symposiis expugnat; præfecturas sibi vendicat; & nobiliorum amplexus virginum suo destinat connubio.

Indè autem Legatus regis Erici medio reversus tempore, quomodo esset Danus erga Suecos animatus; quos adhiberet conatus, apparatusque foveret, denunciat. Quocirca Rex sibi, & patriæ, prospecturus, & irruptionibus hostium occursum, XXVI. Maji, generosos, ac bellicosos viros, Claudium Christiernum, ad Smalandiæ, & Laurentium Petrium à Segestad, Vestrogothiæ, suscipiendam quantocius defensionem, conscribendumque ibi simul militem alegavit; Alios etiam optimatum aliò in iisdem expedit negoitiis; nec reliquis ipsem, militiæ partibus indormivit, ita suis prospiciens omnino rebus, terra marique gerendis, ut Danicam non magnopere formidaret molitionem.

Utriusque nihilominus amici nefas arbitrantes detestabile, quod Principes tam propinquò sangvinis nexu cohærentes, mutuis se forent armis confosuri, & præsertim Sueco Hessius, futuro, ut existimabat genero, ac Dano Elector Saxoniæ, cognato compatiens, suam deferunt partibus operam in transigenda hujusmodi controversia, suadentque ut propterea non gravarentur suos mittere legatos Rostochium, ibi ad XXIII. Augusti diem comparituros. Nec amicum respuens obsequium rex Ericus, cum regni Ordinibus ideo Stocholmiae,

ad Calendas Junias convocatis, hoc de negotio consultat, & denique ipsorum consensu, hujusmodi legationem Rostochium die condicto appetente transmittendam libens approbat.

In eosdem quoque arbitros licet rex Fridericus consentiret, tamen expeditis in Oceanum LIV. navibus, quarum XIII. ad Lubecenses spectarent, ipsemet cum terrestribus pergit sensim cohortibus, quæ XXVIII. constabant millibus hominum, Sueciæ versus limitem. Prius verò Norvegiâ Dano simul impulsi, Daliam, Vermelandiam, & Helsingiam, limitaneas Sueciæ provincias, ipso hujus æstatis primordio infestarunt, prout ipsarum incolæ regi Erico, querulis X. Junii litteris significarunt. Tulit quidem istud Princeps molestè nuncium; Sed molestius tamen, quod sui ex Moschovia cum minus optato advenissent responso, & proinde aliam modo illuc expedit legationem, qua vir strenuus Johannes Laurentius, fungebatur. Atqui molestissimè omnium tulit rex Ericus, quod frater Johannes, Abogiæ castrum usque contumaciter, & pugnaciter defenderet, nec se, illudque dederet; quem propterea in prædictis Stocholmiæ simul comitiis, coram regni Ordinibus, rebellionis & perduellionis, graviter admodum accusavit absentem.

Quando etiam unum ex servitoribus fraternali, Johannem Bartoldium, minus compotem mentis, prius compræhensum, questionibus subjecit, qui nimia compulsus cruciatum vehementiâ, multiformia factionis crimina in dominum commentus fuisse perhibetur. Quibus cum Hogenschildius Bielche, ad Ducem Johannem, XIII. Junii, transmittitur, simul mandatum ad Finlandiæ ac Livoniæ Gubernatores severum habens, ut nisi Dux castro mox dedito, arma deponeret, & regio se, suosque permitteret arbitrio, illum totis ditionum suarum viribus ac viris impugnarent.

Post hujus verò abitum, dictus Johannes Bartholdius, ultimo afficitur suppicio, licet insontem se, dominumque proclamaret, & omnia quæ in hunc esset fassus, revocaret, in eadem simul confessione animam exhalans. Alter deinde famulus Principis Finlandici, Johannes etiam vocatus, natione Scotus, Stocholmiæ similiter; & tertius Arosiæ, Nicolaus Birgerius appellatus, sui caussa domini morte plectebantur.

Interea Lantgravius Suetici Regis nuncium, & litteras, adeptus, quibus postularet Christinam eâ sibi conditione modo per mare transmittendam, ut si de rationibus connubii ineundi cum virgine, missisque cum ipsa commissariis, belle conveniret, eam mox duceret conjugem, alias ipsam remitteret; illi minus consultum videbatur, hujusmodi filiam lege in Sueciam, belli tempestatibus undequaque expositam, expedire.

Quamobrem remisso ad classem nuncio, significat illud in commodius tranquillusque tempus prorogandum esse matrimonium, ac interim de concordia Suecos & Danos inter apparanda, laborandum, huic iterum negotio suam deferens operam, utque Sueones constituto Rostochii tempore comparerent, seriò admonens. Cum hujusmodi propterea responso Jacobus Baggius, Sueticæ classis Admiralius, XVII. Junii ex portu solverat Rostochiensi.

Cæterum XXIX. Junii, perlatus Stocholmiam, cum triumpho excipitur, & à foro urbis ferrario in acropolim hoc processu deducitur: Primus ille procedit, grandi torque redimitus aureâ, & binos inter Barones magnificè constitutus, ipsumque Suetici comitantur pone Capitanei, auro etiam fulgentes, & inter viros dignitatis Equestris ambulantes;

quos

quos geruli sequuntur vexillorum, ab hostibus in nupera pugna captorum, ipsa convoluta, inversaque, præferentes. Deinde captivi, capibus rati, & candidis innixi scipionibus, isto incedunt ordine: Jacobus Brochenhusius, Daniæ archithalassus, antecessorem habet Herculem, Regis morionem, & binos utrinque satellites, laterum stipatores. Totidem postea ejusdem conditionis habent comites, Capitanei VII. genere nobiles, vestigiis sui Admiralii dejecto vultu inhærentes, & tandem bini, & bini, subsequuntur cæteri captivorum prolixo in primis agmine, vinculis copulati.

Nec istud profectò spectaculum Sueones postmodùm captivi in Daniam abducti, impunè tulerunt. Atque licet illo consobrinum longè vehementius inflammaret rex Ericus, nihilominus tamen illicò Laurentium Canuti potius caduceatorem, quam fecialem, ad ipsum ultimò expedivit.

Verum Christopherus, Magnipolensium princeps, futurus regis Erici sororius, post suum ex Suecia redditum in Livoniam, sibi vendicans ideo juris aliquid in archidiœcesin Rigensem, quod Wilhelmi demortui fuisset coadjutor, & propterea illius machinans subactionem, cum aliquot turmis equitum Germanicorum, à Sueco suppeditatorum, circa XXV. Julii, archiepiscopam invadit, fausto minus succesi; Nam à Gothardo Curlandiæ domino, & Ernesto Wetero, Polonicarum ductore copiarum, in castro expugnatus Dalensi, captivus in Poloniam abducitur, ubi quinquennio detinetur.

Nec illo Sueones suorum infortunio commilitonum magnoperè consternati, XXVIII. Julii Habsiam, Ducis Magni subiectam dominio civitatem Episopalem, obsederunt. Incolæ autem nullum à domino subsidium expectantes, post toleratam fortissimè X. diebus impugnationem, se, urbemque sub plurimis dediderunt conditionibus, ac exceptionibus. Sed victores paucis harum servatis, Catholicam ibi religionem Evangelicā permutant; preciosissimā basilicam suppellectile spoliant; ex campanis inde Revaliam traductis bellicas apparant machinas, & opes fundosque presbyterii aliò demigrantis, occupant. Deinde porrò in vicinam effusi provinciam, Vichiamque huic finitimam, ipsas in solitudinem propemodum redegerunt, in easque propterea tantopere desævient, quod Danis auscultarent, bellum Sueciæ molientibus.

Nè verò rex Ericus huic præbuisse caussam argueretur, approximante nunc tempore colloquii Rostochensis; ad ipsum cum plenissima agendi potestate, illustrem Gustauum à Bogesund Comitem; Georgium Ericum à Fogleiich Baronem; & Olaum Laurentium, regni Secretarium, transmisit. Qui Calmarniam progressi, ut inde mari aut terrâ Rostochium festinarent, per litteras, nunciosque, ab Admiralio classis Danicæ, & Castellano Hafniensi, salvum flagitant conductum, nec qualem voluerunt impetrant. Ideoque profectione hujusmodi posthabitâ, velut minus securâ, Stockholmiam inculpabiles remeant.

Quando Danus etiam, licet non ignarus esset, vanum omnino fore colloquium Rostochiense; tamen eo, quasi pacis magnoperè foret cupidus, suos expedit commissarios, & ipsem IV. Augusti castra Elsburgum versus movit proprius. Hac autem de caussa Dani quoties Sueciam sunt oppugnatur, toties primum faciunt in istam arcem impetum, quod cum illic solum pateat Sueonibus in mare occiduum exitus, ve- lint ipsis omne præripere subsidium, illac per fautores Sueonum, fre- tum devitantes Danicum, ceu scopulum, adferri consuetum. Sicut e- tiam, quod siquidem sola Elsburgensis ditio Sueciæ subiecta, diri- mat Norvegiam à Dania, ut illâ primò subactâ, integrum habeat

Danus continentem, nec tantillo disjunctum intervällo imperium. Cæterū V. Augusti die, Laurentius Canutius Suetici Regis caduceator ex Dania reversus Stocholmiam, significat regem Fridericum juxta conditiones à Suecis illi propositas, nè mentionem quidem pacis audire, multò minus eam velle hujusmodi ferire pactis; & tantum abesse ut trium usu coronarum se velit abdicare, ac Sconiam, Hallandiam, Blechingiam, Gotlandiamque Sueonibus resignare, ut reliquum etiam Sueciæ meditetur subjugare. Quo autem jure præfatas Sueci repant provincias, & quo vicissim Dani easdem sibi hactenùs vendicarint, ex libro contra Petrum Rosefontanum liquet manifestè. Sed quantum ad illam de Tribus Coronis controversiam, intendunt Dani, has usurpando, sibi nonnullam in Sueciæ regnum, velut olim Daniæ coniunctum, arrogare jurisdictionem, non considerantes quam justis de causis ipsam sub Christierno tyranno amiserint, ac nè hujusmodi prodatur intentio, callide prætendunt, terna diademata symbolum esse duntaxat, indicans tria quondam Scondiæ regna, sub unius fuisse Regis dominio, non peculiaria Sueonum insignia, minus veraciter affirman tes, Leonem Suecos pro stemmate, per tria salientem flumina, quondam usurpasse. Verum nostrates in plurimis hoc de negotio celebratis utrinque conventibus, hujusmodi fuisse Gothorum insignia, & Suecorum tria auri diademata, ex vetustissimis litterarum sigillis, multo ante unionem Scondicorum regnorum tempore impressis, ita firmiter demonstrarunt, ut post transactiōnem Stetini Anno MDLXX peractam, parum in suâ Dani caussa, deprehenderint, vel ostenderint, præsidii.

Cæterū modò hac freti assertione, vel potius arrogatâ in Sueciā jurisdictione, quòd internis ipsam tumultibus, & externis cum Moscho, Polono, Livonibus, ac Vandalorum mercatoribus, præcipueque Lubecensibus, viderent collotenuis implicatam; funestum istud auspicantur bellum, quo innumerabilium utrinque hominum fuit sanguis profusus.

Etenim rex Fredericus, & Republica Lubecensis, ad prælium ex fœdere parati, non expectato Rostochiensis termino colloquii, suos in Sueciā expeditiū feciales. Ac Danicus quidem, Nicolaus Fontenus, XII. Augusti, mandatum depositurus in castro Stocholmensi, conspecta Regis majestate, in throno admodum sublimi residentis, præ nimio metu obmutuit. Ast blandè jussus à rege Erico suum profari negotium, strictoque collum subdere interea gladio, vocem solvit timidam, & cauſis belli prolatis, afferit eas propter Daniæ Regem, ferro flammaque vindictam de Sueco propediem sumpturum. Mox rex Ericus cauſas ipse met copiosā ponderat oratione, ac refutat, facialeaque vitæ donatum securitate, jubet quantociùs Sueciā excedere, & domino vicissim suo dicere, Suecos, qui æquiores belligandi haberent cauſas, ipsum, Deo propitiante, docturos, quid sit clarissimæ fortissimæque genti arma citra necessitatem, ex quadam mentis arrogantiâ, movere.

Sed Lubecensem suo non dignatus colloquio, eum velut à mercatoribus missum, coram senatu urbis suam jubet commissionem depone re. Ubi proindè in confessu negotiatorum ille Stocholmensium naclus loquendi potestatem, bellum Lubecenses Sueciæ illaturos pronunciat, quòd veteribus in hoc regno privilegiis frui vetarentur, & mercibus in Oceano spoliarentur. Quibus profectò rationibus ex mandato Regis, à civibus fuit luculenter responsum, & uterque ita facialis hinc expeditus, in Daniam redibat. Nec tamen Rex Fridericus antequam dies Rostochii condic̄a pertransivisset, canere voluerat classicum.

Quâ porrò die hujusmodi peragitur Stocholmiae clarigatio, eâdem castrum vincitur Abogense. Nam Dux Johannes promissas ex Polonia & Prussia non adeptus suppetias, nec valens proprio diutius marte, quassam ab hostibus nimium munitionem defendere, & simul intelligens, plures ab adversariis cōpias propediem affuturas, cœpit rebus suis diffidere, nec tamen arcem voluit dedere. Quamobrem hostis quodam usus stratagemate, eâ violenter fuit potitus, idque Dux Prussiæ intelligens, cum Dantisco esset soluturus in Finlandiam cum auxiliariis cohortibus, his exautoratis, domum subtristior festinat.

Interim Princeps Johannes cum uxore, servitoribus, & reliquis servitoribus captus, quando cum his ex castro producitur, à quodam fuisse sicario transfoſſus, niſi Claudius Boye regiorum unus procerum scelus avertifſet. Incolumnis proinde cum suis Dux Johannes Stocholmiam navibus delatus, regio præsentatur judicio, & criminum alibi memoratorum, à Georgio Petrio, regio procuratore, vehementer accusatus, ad Cæſareum provocatur tribunal, ac nihilominus prolatâ ibi sententiâ secundum VIII. & IX. juris Suetici capita, titulo de flagitiis enormiter capitalibus, pronunciatur cum omnibus ſectatoribus, vitâ bonisque privandus, & mulctandus, niſi ex ſumma Rex clementia, fratri culpam, & hujusmodi pœnam, condonaret.

Hanc potissimi Ordinum cogebantur obſignare roborareque ſententiam, & tergiversantes carceribus compellebantur, illiusque protinus vigore non pauci ex Ducis ſervitoribus in suburbio mactati, centum rotis, & palis, imponuntur; Alii ad metalla damnantur, quos inter fuit Nicolaus Johannis, fratre genitus Johannis Braschonis, quondam in Ostrogothia præfulus Catholici. Ipſemet verò Princeps Johannes vitâ donatus, bonis tamen mobilibus & immobilibus ſpoliatuſ, & perpetuo carceri adjudicatus, cum uxore mæſtiffima in celoce Gripsholmiam versus transvehitur, quando conſpicatus ſuos nuper ſuppicio affectos, lachrymis ubertim profuſis dixit: *Hec fida meorum corpora. Fuerant autem iſti omnes indigenæ; & alienigenas rex Ericus fratris ſervitores, ex regno dimiſit impunitos; Polonoſ, Germanoſ, & Italоſ, præter Christopherum Schench, à Tautenborg Liberum Baronem, quem, velut peculiarem Ducis consiliarium, graviffimis ſubjecit questionibus; nihil tamen effecit.*

Cæterū Dux Johannes Gripsholmiam perlatus, arctiſſimæ traditur custodiæ, in qua ipſe, conjuxque individua calamitatis comes, annis IV, & binis mensibus, detinebantur, ſuæ nullo momento vitæ ſecuri. Nam rex Ericus prævidens ex astrologiæ observationibus, quarum fuerat peritiffimus, illisque deditiſſimus, ſuo principem Johannem exitio vivere, iſpi vitam eripuifſet, niſi fratres, Magnum, & Caroluſ, maternosque illius in regno consangvineos, velut etiam Polonum levirum, ſubmetuifſet fortassis vindices.

Memorat profectò Ericus Falchius in ſuo Panegyrico, quod ipſemet Rex quandoque ad captivum ingressus fratrem hujus cauſa ſceleris patrandi, animum conſpecto illo mutarit, ad fraternaque prolapsus genua, principem Johannem ſupplex ita compellaverit: *Scio frater, ſcio regni mei te expectare gubernacula, & mea fata manere; Sed te rogo, & obteſtor, cum ad regium perveneris culmen, & in tua fuero potestate, ut mei te misereat, ne que propter copulam ſanguinis adeo propinquam, turpi quopiam me letho patiaris occubere.* Aſt Princeps Johannes fraudem ſubeffe veritus, oratione tempori locoque accommodâ, tyrannum ita placavit, ut nec furentem formidari, nec ſupplicem inflamarit. Hinc igitur, prout etiam ex non paucis

liquet aliis indiciis, regem Ericum non admodum malignæ fuisse naturæ, verum à sceleratis seductum nimis consulteribus, ad omnem sævitiam & malitiam natis; Quorum antesignanus fuit Georgius, Petri apud Salemontanos concionatoris filius, homo versutissimus, & crudelissimus, qui cum diabolicæ, ut ferunt, magiæ fuerit oppidò studiosus, non consiliis modò pravis, sed maleficio pariter optimam Regis naturam forsitan dementavit, hujusque conjecturæ non obscura passim documenta sequens adferet historia. Quamobrem infelix Princeps hujus nebulonis operâ nimium delectatus, ipso nihil statuit propemodum inconsulto, eundemque velut murum sibi fore aheneum demonstraturus, illi patriis adscripto, ternos pro insignibus lateres assignavit. Libentiūs vero, & confidentiūs etiam, aliis obscuro natis genere in quibuslibet majoris momenti negotiis, simul cum proceribus, utebatur, quod horum fidelitati, velut maternis fratrum cognatis, plerumque diffideret.

Porro Sigismundus rex Polonorum necdum certior factus de infortunio sororii & sororis, navem emisit in mare balticum, Abogenſi forsan caſtro ſubſidium laturam, quam Sueonum classis XVI. Auguſti die, intercepit. Verū XXIV. hujus mensis, legati Ducis Saxonici, & Langgravii, confluunt Rostochii, unaque Danici, & cum fruſtrâ illic adventum Sueticorum aliquandiu expectaſſent, indè domum dilabuntur. Suecus proinde hostibus regno imminentibus, occursurus, triduò antè, videlicet XXI. Auguſti, cum palatinis Stocholmiā egreditur cohortibus, & rex Fridericus post quatriduum cinxerat obſidione arcem Elſburgensem, hujusque praefidiarii adventu hostis cognito, propinquæ ſubdiderant flamas civitati, nè ſibi foret detrimen‐to, & Danis adjumento. Tum Rex Danorum ſuis quaquaversum litteris per Gothiam divulgatis, modernam regum familiam, fœdis onerat criminibus; Gustavi, ac Erici regimen, tyrannidis insimulat; quantum haberet ille jus in Sueciam, exaggerat; & tandem Suecos, Gothosque, ad pristinam regnorum unionem, ac ſubjeſtio‐nem, blandiſſime invitat, alias ferro flammisque mulcendos, & ſubjugandos.

Transmisso ſimul etiam nuncio ad praefidiarium in caſtro militem, hunc ad ſpontaneam arcis deditiōne hortatur, & nullibi optatum naeſtus reſponſum, propinquos Westrogothiæ incolas crudeliffimè prædatur. Nec minorem interea cladem Oelandis Danica classis inſixerat. Caſtri tamen impugnationem per reliquum diſtulit Auguſtum, & integrum Septembrem, interim praeftolans regis Erici adventum, ſeque parans ad configendum cum ipſo de toto Suecorum imperio. Atqui rex Ericus id minus rebus ſuis pro tempore conſultum ratus, congreſſu abſtinuit, ac hostium turmas ſubinde pabulatum, vel frumentatum, ſive alias prædatum emiſſas, probè fauiatas, non ditatas, remiſerat. Quo nihilominus temporis intervallo, ampliſſimis ex toto regno militum cohortibus turmatim congregatis, & regni ubique rebus pacatis, ad configendum cum Danis, quando relicta ſub Elſburgo munitione, alio digrederentur. Quamquam & ibi hostibus congredi moliretur, fortassis dummodò ſuccederet machinatio. Etenim Comitem Petrum per Daniam & Vermelandiam; Sed Gustavum Olai à Torpa Baronem, per Westrogothiam, plurimis ſtipatos agminibus, clam expediverat, & ipſem et cum reliquo exercitu per Smalandiam lento gradu proceſſerat, ut hostem illic à tribus ſimul partibus adoriretur, qui prius arce potitus, noſtros deluſerat conatus.

Nec Danos modicé animavit, quod non ignorarent potiſſimum exercitus Suetici robur, Livonicā occupatum militiā. Cum iſto autem initio Septembris, heros admodum strenuus, Achætius Benediſti, ſub Lodium pro-

profectus, id octiduo vehementer impugnavit, & Polonus Curlandusque obfessis auxilium laturi, mediocres contrahunt cohortes. Quarum aliquot turmæ sub Lealiam præmissæ, exploratum quid illic Sueones molarentur, ab his intromittuntur, existimantibus suos esse commilitones, à Lodo adventantes, & mox fecus experientibus. Quippe ab immisso hoste protinus trucidantur, & Lealiam hujusmodi recuperatam stratagemate, Got-hardus Curlandiæ Princeps, profugis Vichiæ nobilibus ex Oeselia revocatis, tradidit nomine Duci Magni protegendarum. Sed interim ille conjunctis cum Polono copiis, Lodium pergebat, hostiumque Sueones adventu, citra ullam perterriti necessitatem, omissâ obsidione, Lodo profugiunt Revaliam, & hostes illuc advenientes, senas ibi machinas Sueorum belicas relietas capiunt, Lodiumque novo muniunt præsidio, ac victores inde abeunt.

Sed cum circa Parnoviam redirent, nonnullæ Sueonum cohortes in sylvis latentes, ex insidiis prodromas illorum copias aggrediuntur, & Henrico à Donau Burgravio ipsarum ductore prostrato, victoriâ potiuntur. Deinde Lealiam victores profecti, hostibus illam eripiunt, & captos ibi nobilium plurimos in Sueciam expedient. Quando Moschorum legati, ex Dania in Vichiam delati, ab occurrentibus Duci sui cohortibus in patriam deducuntur, illa secum nova ferentes, quod Magnus Dani germanus, ductâ in matrimonium virgine Moschi cognatâ, monarcha totius propediem Livoniæ, Suecis ac Polonis ope Ruthenica subductæ, esset futurus, fratrique postea Finlandos, dubio procul, subjugaturus. Vanâ etiam hac Lubecenses fiduciâ lactati, & suâ Danicæ conjunctâ pelagus obvagante animati classe, Narviâ cum multis hoc tempore onerariis, domum versus navigant, in hasque XII naves Sueonum incidentes, senis potiuntur, & Narviam reliquæ trepidantes relabuntur.

Modò autem rex Ericus Jenecopiæ cum terrestri Sueonum exercitu constitutus potissimo, & non minus adhuc de tumultibus domesticis sedandis, quam hostibus ex regno profligandis sollicitus, VI. Octobris, misso ad Magnum fratrem Hogenschildio Bielche, simulque Erico Mathiæ, Secretario, flagitat, ut sententiae in Ducem Johannem ab Ordinibus regni prolatæ, non gravaretur simul subscribere. Verum respondit, tanto conscientiam reluctari piaculo. Et propterea ut ipsum rex Ericus huc sceleris permoveret, nec adversarium postea timeret, illum, excluso principe Johanne, sibi absque liberis mortuo, immediatum deligit in throno successorem. Quo tandem Magnus pacto seductus, regiæ satisfacit voluntati; tamen inde tantos conscientiæ scrupulos fuit mox expertus, ut hinc in perpetuum ceciderit delirium, nec unquam convaluerit. Quamvis nonnulli aliam huic mentis abalienationi caussam quoque assignare consueverint.

Cæterùm IX. Octobris, illustrissimus princeps Georgius Johannes, Rheni Palatinus, Stocholmiam Sueciæ reversus, cum splendido in primis comitatu, se nuptiarum accingit festivitati. Post biduum verò intelligens rex Ericus, suos à Cæsare legatos, Nicolaum Gyllenstern, & Georgium Gere, nuper regressos, in quodam propinquo Vandalorum commorari emporio, ibique classem præstolari Sueticam, ut eâ securius in patriam deducerentur, litteris illos hortatur, ut in Hessiam se conferrent, & annulo pronubo pro VI. millibus thalerorum comparato, sibi filiam illo Lantgravii despontarent. Nec illi mandato reluctati, viam illuc arripiunt, & dum hujusmodi gnaverter ibi negotio invigilant expediundo, rex Ericus istius turpiter oblitus commissionis, litteris Angliam versus aliis per mare ablegatis, Elizabetham sibi postulat thalami consortem. Illasque Lantgravius, à Dano intercep-tas, & in Hessiam transmissas, adeptus, vehementer Sueco indignatur,

ac legatos plurimum hujus ergò perfidiæ increpitos, quamvis à culpa om̄ino alienos, jubet Hessiâ quantocius excedere, nec amplius illuc se, filiamque ludificatum accedere.

Hactenus verò Danus Elsburgensis intentus arcis aliquandiu expugnationi, nonnullam mœnium partem tormentis prostraverat, & cum intelligeret castellanus, Ericus Kagge, hostem per hujusmodi murorum ruinas irruptionem meditari, nec ullum à suo acciperet Rege subsidium, vocatusque insuper esset sub fide publicâ ad colloquium cum Dano, illud accessit, & obtentâ pro se ac sociis vitæ bonorumque immunitate, XI. Octobris castrum prodidit regni Suetici fortissimum, quod ita occupatum Georgius Ranzovius tradidit IV. peditum cohortibus defendendum. Hâc Danus partâ victoriâ, reliquæ subactionem Westrogothiæ, & castri propterea Lechensis obsidionem sibi proposuerat, ut postmodum liberius in totum se imperium effunderet Sueciæ. Verùm quod miles desævientis vehementiâ hyémis nimium cruciatus, redditum contumacius flagitaret, vel potius, quod potentes Suecorum exercitus undequaque imminentes formidaret, receptui canitur, reductusque in Sconiam miles, stationem ibi hybernam consequitur.

Tantâ porrò grassante apud Suecos tempestate, & domini sui captivitate, constitutus à Duce Johanne arcium in Livonia gubernator, animatus, ipsas Moscho eâ prodere conditione statuit, si una illarum sibi conferretur, & hujus in possessione defenderetur. Atque ut præsidiarium in arcibus militem ad suas pertraheret facilius partes, Ducem in carcere sublatum veneno comminiscitur. Verum ille Moschorum sub arcis adventu conspecto, producis fraudem deprehendit; munitiones strenue defendit, & proditorem comprehendit, qui Rigam transmissus, horrendo mactatur suppicio.

Sed interea temporis rex Ericus Danos in patriam dilapsos intelligens, ægerrimo tulit animo, quod fera hujusmodi tot undequaque casses ipfi expositos, incolumis, & quidem cum tanto evaderet triumpho. Hunc tamen né omnino impunè hostis reportaret, pro una regno Sueciæ ablata munitione, binas Daniæ statuit eripere. Quamobrem ipsius mandato, cum suis Comes Petrus cohortibus, limitaneam invadit Norvegiæ provinciam, & urbe Kongellensium inflamatâ, devastatâque, subjectam occupat ditionem, ac Bohusium impugnat. Atque jussus militem rupi seu scopulo arci propinquò impositum, & cymbis privatum, inediaque cruciatum, violenter itâ impellere ad faciendam in castrum impressionem, illudque capiendum, quod hujusmodi arcis munitionis expugnationem, velut impossibilem & nimis crudelem, neglexisset, ac Bohusium propterea non obtinuisse, gravissimam Regis indignationem incurrit. Quando Helsingi etià boreales Norvegiæ regiones ex regio impugnantes imperio, Jemptiam, Herdaliam, & Sotodaliam, Sueciæ iterum dominio subdiderunt. Ipsemet verò rex Ericus, omisssâ nunc Elsburgensi oppugnatione, velut minus possibili, erectum Danis Halmstadium, fortissimam Hallandiæ munitionem, cum XXX. vexillis peditum, & X. alis equitum, festinavit, ac XXIV. Octobris, bina sub illo metatus castra, vehementer oppugnavit.

Nec segnius Danicum in urbe præsidium, cui præfuerant viri admodum pugnaces, Christianus Mandryvoel, & Josve à Qualen, Sueonibus restiterunt. Qui tamen civitate fuissent potiti, si plures quam binas habuissent machinas ibi grandiores murifragas; ex utrisque urbem castris simul per stratas mœnium ruinas, invassisent, & nisi Halmstadienses à quodam cognovissent transfuga, nostratum conditionem, ac petitis frau-

dulenter induciis, obtentisque, Suecos delusissent. Etenim videntes obfessi, potissimum mœnium partem esse prostratam, hostes ad novam animatos paratosque irruptionem, & Regem inter hos obequitando, ac munera liberalissimè distribuendo, hortandoque sat inflammatis faces adhuc subdere ardentiores, & propterea civitatis defensioni submetuentes, deliberandi super urbis deditio, usque XXIX. Octobris diem, tempus flagitant. Quo non difficulter impetrato, regem Fridericum interea per nuncios faciunt occultos certiorem, de statu civitatis periculoso, & responsum nocti optatum, animos resumunt, armaque denuò corripiunt. Hujusmodi verò subsidii propediem adferendi, urbis accolæ prorsus ignari, medio tempore omnem Dano renunciant subjectio nem, quod ipsos hostibus expositos deseruisset, & illam Sueco promittunt.

Cum dies posteà advenisset præstitutus, urbis postulat rex Ericus deditio, & se delusum intelligens, hujus expugnationem munitio nis in commodius differendam tempus, & interea patriam ob frigoris modò vehementiam decernit repetendam. Itaque VI. Novembris, cum primariis indè copiis Gothiam versus contendit, & cum reliquo jussi aliquantulum ibi remanere exercitu, Claudio Christiernius, Carolusque Mornæus, nullo hostium adventu cognito, post triduum vasa conclamant, & sauciatorum, machinarum, aliorumque onerati frequentiâ impedimentorum, post Regem iter continuant.

Hostis porrò interim ex hybernis congregatus, tanto disjunctas esse intervallo Suecorum cohortes intelligit, commodissimamque sibi occasionem clades vindicandi Hallandicas oblatam ratus, præfasas exercitus Suetici copias militares, impedimentorum oneribus distentas, X. Novembris, pone aggreditur. Ac licet Sueones insperato Danorum impetu magnopere inprimis percellerentur, tamen collectis ex metu fugaque viribus & viris, dolosæ hostium incursioni se audacter objiciunt, & cum tertio ipsos turmæ peditum Sueticæ in fugam avertissent, tandem auxilio agminis equestris se pugnæ subducantis, catervatimque dilabentis, destitutæ, ab adversariis opprimuntur; Sueonum CCC. cæduntur, & tormenta bellica non pauca ipsis auferuntur. Nec incruenta omnino fuit Danis victoria, cum præter multam gregarii militis cladem, primarii hostium ceciderint, quos inter perillustris vir, Fridericus à Donau, & unus Brochenhusiorum, extiterunt.

Verum Suecus tantâ suorum clade intellectâ, dispersum quantocius cogit excercitum, qui regressus in hosticum, ibi crudelius multò grappa tur, & castro Lychebygensium occupato, in Hallandiâ, Blechingiaque, incolas horrendum populatur. Quarè Danus nostratum intelligens grassationem, & demum reversionem, ut vicem Suecis rependeret, suo exercitus ductori Guntero à Suartzenburg comiti, mandat Gothiam infestare australem. Qui propterea Calmarniam versus aliquantulum progressus, & itineris temporisque frigidissimi nimium incommodis defensus, in Sconiam remeat. Sed talibus anni difficultatibus Sueones nequam deterriti, Nidrosiensem invadunt Norvegiae regionem, & ipsem et rex Ericus in Sueciâ remanens, XXII. Novembris, Stockholmiam cum insigni admodum pompâ ingreditur; ubi XII. Decembris, regiâ planè magnificentiâ, nuptias Annæ sororis, Georgio Johanni Palatino Rheni elocatae, plus quam CC. belli machinis, præter aliam spectaculorum conviviorumque festivitatem, displosis, celebravit.

Anno MDLXIV. Sueones in borealibus Norvegiae ditionibus, duce Claudio Kolart, Gallo, grassantes, occupatâ Nidrosiâ civitate regni me tro-

tropolitanâ, propinquum obsident castrum Stenvigholmense. Hujus autem propugnator, & finitimæ regionis gubernator, Claudiüs Bilde, hostium potentiat superatus, se, illudque, victorum tradidit arbitrio; Qui, primum custodiæ mancipatus, datâ cautione, quod præsenti flagrante bello, contra regnum Sueciæ non esset militaturus, pristinam obtinuit fraudulenter libertatem. Claudio porro Sueticarum duxor copiarum, Bildio, & subactis nimium confisus Norvegis, toto propemodum exercitu in Sueciam remisso, cum paucis ibi remanserat copiis, partam defensurus munitionem, regionemque. Alii prædis onusti patriam repetunt, & præter alia feruntur secum spolia, galeam atque calcaria S. Olai, ab hujus sublata tumulo, seu loculo Nidrosiæ, attulisse, & in primo Stocholmiæ templo suspendisse, ubi etiam hodie visuntur. Sed ipsum divi regis corpus, Nidrosiâ simul elatum, in proximo defodiunt cœmiterio, quod tamen à Norvegis posteà investigatum, ad pristinum in basilica tumulum reportatur.

Verum interea Claudio Bilde, fidei nuper præstite turpiter oblitus, reditu Sueonum cognito, in Daniam properat, imprudentiam & infrequentiam hostium Norvegiæ dominantium boreali, regi Friderico manifestat, & subsidium contra ipsos flagitat. Quo rex Ericus tempore, victoriam contra Norvegos prosecuturus, & reliquum Danis erexitur, ad impugnandum denuò Bohusium, cum alio Claudio Christiernum transmisit exercitu; Qui licet fortissimam navaret operam artis expugnationi, tamen post aliquantulum temporis, inde, velut comes Petrus, citra victoriam cogitur abcedere.

Atqui fortunatius Henricus Claudio, Livoniæ moderator, sub Ledio belligerans, illud tandem expugnavit, istoque Suecus nuncio plurimum exhilaratus, & Elsburgensem æquè fortunatam sibi fore oppugnationem arbitratus, prægrandi castrum illud potentiat obsecdit. Quamobrem Danus modò suis metuens rebus, & inchoati serò nimium bellum pœnitens, in Martio litteris hortatur consobrinum, ut æquis secum conditionibus in gratiam, amicitiamque, redire haud gravaretur; Ac simul ille, Lubecensesque, varios Europæ obsecrant Principes, ut suam in hac transfigenda controversia interponere operam non dedignarentur.

Hinc propterea Imperator, Bohemus, Gallus, Saxo, & Brunsvicensis, provocati, expedito in Sueciam legato sub veris initium, Christophero Minguitio, regem Ericum pacis admonent, suadentque ut feriis Pentecostes suos haberet Rostochii commissarios, & legitimis submitteret arbitris causam utrinque decidendam.

Quando Claudio Bilde cum exercitu in Dania impetrato reversus in Norvegiam, Suecis Nidrosiæ profligatis, Stenvigholmium arctissimam ligat obsidione. Itaque Suecorum ibi antesignanus, Collartius, suam detestans serò imprudentiam, & Bildii accusans fruistrâ perfidiam, arcem huic dedere compellitur; A quo contra pactum mox comprehensus, in Daniam transmittitur, ubi captivus deinceps moritur. Rex Fridericus quoque nuperam Hallandiæ & Blechingiæ vindicaturus populationem, aliquot missis trans limites regnum cohortibus, quarum esset duxor Steno Bildius, Vesbogiam, & Sunderbogiam, Gothiæ australis devastat provincias, non tamen impunè; Siquidem Carolus Mornæus, intellecta hostium excursione, tumultuarium congregaverit exemplò militem, & Danes infecutus, XX. horum trucidatis, reliquos in Sconiam fugarit, sub Lagaholmio pedem figentes.

Sed maritimo per idem temporis curriculum prælio vehementius utrinque decertatum; Quippe classis Sueonum XLVI, navibus constans (qua-

(quarum præatoria fuerat admirandæ magnitudinis, ideoque Machelosa, quasi parem non habens, & Mars nuncupata) XXIX. Maji ex maris Suetici faucibus, glacie modò primum purgatis, in Oceanum progreditur, & post triduum incidens præatoria, binis solum aliis stipata navigiis, reliquâ tempestatibus classe nimium dispersâ, in hostilem à Danis & Lubecensibus emissam, interque Gotlandiam & Oelandiam confidentius obvagantem, huic nihilominus congreditur. Principio autem conflictus, primariam demersit Lubecensium, & pugnâ incalescente, licet illa duo socialia profugerint navigia, tamen Machelosa toti hostium classi se opposuit solam. A qua proinde undequaque impugnata, & simul inflammata, se, Admiraliumque Jacobum Baggium, & Arvidum Trollium, cum frequentissimo epibatarum numero, vietricibus adversariorum navibus dedere compellebatur.

Quamobrem victores prædæ nimis avidi, & tantæ molis ab interitu eripiendæ vehementer cupidi, flagrantem insiliunt navem ex omni parte catervatim, quorum CCC, aut CD, horribile pulveris tormentarii subortum protinus incendium, miserrimè dilaceratos, inque sublimem jaëtatos aërem, submersit tandem, & ipsum simul navigium, cum elegantissimis belli machinis CC. ex campano Ecclesiarum ære conflatis, comparatisque. Quarum hujusmodi propterea interitus, permultam præbuit occasionem hominibus pristinæ adhuc religioni additæ, æstimationem Evangelicorum elevandi, & Deum velut sacrilegii vindicem summoperè deprædicandi.

Minus etiam feliciter reliqua Sueonum classis cum hostica postmodum conflixit. Quæ fauces ideò maris Sueticas repetit, male quasfata, ut interpolaretur, & novo Admiralio donaretur.

Jam porrò dies Rostochiensi deputata colloquio, præ foribus aderat, quò proinde Suecus Legatum Imperatoris modò propterea remittens, suorum istam obtendit absentiae excusationem, quòd serò nimis de illo admonitus esset conventu, nec convenientem ab adversariis impetrasset commeatum, insuperque asseverans, usitatum esse morem Sondiæ regibus, ut quaslibet in colliminio regnum, non in emporiis Vandalorum, transigrent jure, vel amicè, controversias, ibi colloquium cum antagonistis habendum approbat.

Intendit autem rex Ericus bellum continuando, non Sconiam modo, Hallandiam, Blechingiam, & Gotlandiam, ast etiam simul Norvegię, Suecię subjugare, quòd olim rex Carolus minus legitime fuisset ipsa spoliatus, & consobrinum propter superbam nimis insignium Sueticorum usurpationem armis mulctare, forsitanque ipso Daniae throno exturbare. Nam imperii fuit cupidissimus dilatandi, & multifarios, nefariosque à Danis quondam Suecię irrogatos sæpenumerò despectus vindicandi flagrantissimus.

Atqui colloquium nos revocat Rostochiense, ad quod Cæsar & præfatorum commissarii Principum, cum Dani, Poloni, ac Lubecensium legatis confluentes, Suecorum IX. septimanis ibi præstolantur adventum, & tandem naëti responsum ex Suecia per reducem indè Minguitium, disperguntur. Itaque rex Fridericus sua de hujusmodi litis transactione frustratus spe dudum conceptâ, & quoddam contumaci perniciosum hosti consilium meditatus, per Legatos ad Cæsarem protinus transmissos flagitat, ut Maximilianus nuper parenti Ferdinando subrogatus, promulgato in urbibus Vandalicis edicto, prohiberet incolis bellicum in Suecię apparatum, & quemlibet deportare commeatum, quòd his Suecius subsidiis plurimum animaretur ad belli continuationem. Verum huic

se opposuit inhibitioni quidam Ulricus Mordisius, Ducus Saxonici Cancellarius, probans Danum gerere bellum cum Sueco spontaneum; & propter hujusmodi Regum exterorum voluntariam concertationem, non impedientiam mercatorum, in Germaniæ totius detrimentum, esse consuetam negotiationem. Ita Rex Fridericus hâc etiam viâ sperato non potitus successu, caussæ tamen suæ haud desperat; ut neque Rex Ericus, qui propensior ad pacem cum Polono, quam Dano renovandum, Comite Petro ad illum transmissò, varia concordiæ adminicula proponit, quorum dubio procul fuit unum, Principis Johannis & Catharinæ in libertatem restitutio; & nihilominus nullum habuit successum legatio.

Hactenus Sueonum classis interpolata, milite & armamentis roborata, novoque Admiralo ornata, Claudio Christiernio, XIV. Julii die in pelagus regreditur. Hujus verò ignara reditus mercatoria Lubecensium classis, cum omnigenis Narviâ domum versus properat mercibus, quam Suetica prope Borenholmiam aggressa, XVI. hostium potitur onerariis, & præter opes fermè inæstimabiles, CCC. captivis. Quibus omnibus Stockholmiam expeditis, vindictæ prædæque cupidissima Oceanum oberrat Balticum, & Daniæ ac Germanicis non pauca insuper navigia divitiis affatim stipata eripit negotiatoribus. Demum XV. Augusti in militarem hostium classem sub promontorio Oelandiæ boreali Suetica incidens, à meridie in vesperam cum ipsa conflixit, & victoram assecuta, IV. hostiles cum triumpho indè abduxit, & postquam illuxisset, intelligit reliquam hostium classem in freto Cymbrico refugium captasse. Hinc tamen posteà in altum regressa, vindictam meditabatur, & Sueticæ idcirco congressa mense Septembri, denuò illuc fugatur, nec amplius hoc anno in Oceanum progreditur.

Quamobrem adversaria victrix, & ultrix cladis sub Gotlandia priùs acceptæ, maris potita dominio, illud animosa obvagatur, quandò VIII. iterum Lubecensibus naves ex portu advenientes Narvensi, abstulit, & nullibi hostibus postmodum conspectis, sub initium brumæ se in hyberna contulit. Sed Lubecensium Respublica, tantis spoliata mercibus, vehementer indignans, publicato, & Cæsareæ Majestati dicato libello, hujusmodi plurimum exaggerat damna sibi à Sueonibus illata, & quam æquas haberet propterea cum ipsis caussas belligandi, luculenter demonstrat, totamque velut ab ovo controversiam commemorat. Nec minus suæ fretus caussæ Suecus æquitate, calamo etiam gladioque simul cum hostibus in terra ipsem decertat, quandò sua in mari tantam classis victoriam de iisdem reportarat.

Etenim vano se conatu Elsburgum impugnare animadvertis, solutâ obsidione, cum toto invadit exercitu Blechingiam, & XXVI. Augusti, amissum recuperat præsidium Lychebygense, indeque sub Rotnebygium profectus, quod incolæ contumaciùs deditioñem abnuerent, & contumeliosus responderent, potenter violenterque civitate IV. Septembbris potitus, omnes inhabitatores, ac propugnatores, fæminis ac pueris duntaxat exceptis, trucidavit, & urbem solo adæquavit.

Nec porrò ipsem Rex progreditur, sed aliquot secum cohortibus acceptis, Lychebygium regreditur, ubi castrum suo firmat præsidio, mandans ut prostrata nuper mœnia quantocius instaurarentur, & indè Calmarniam secedens. Interim potior exercitus pars in Sconiam effusa, Sølsburgum contendit, Sueonumque territus adventu Vernerus Pasberg, ibi castellanus, arce inflamatâ, fugam arripit, & hostis mox superveniens, urbem diripit, flammasque direptæ subjicit. Deinde Aleholmensibus similiter multatis, in reliquam digreditur Sconiam, non modicam hujus portioñem truculenter admodum devastans, & cum immensis tandem spoliis redditum in Gothiam accelerans.

Tan-

Tandem verò Dani cladem vindicaturi, & Lychebygium antequam restauraretur occupaturi, cognitâ Sueonum reversione, castrum aggreduntur, & ipso nec dum reparato haud difficulter potiti, vicinam ingrediuntur Smalandiam. Quibus incolæ actutum confluentes acriter congreſſi, non paucos illorum prædis onustos ceciderunt, & superstites cum modico in patriam triumpho redierunt.

Proinde fortunatius Sueones in Norvegia isto temporis intervallo, sunt grassati; Quandoquidem illuc Mathias Thorne cum aliquot expeditus militum turmis, ut proximam Noricorum defectionem à Claudio Kollart vindicaret, Nidrosiâ, Uddevallio & Kungellâ spoliatis inflammatisque, plus quam XXX. in regionibus subjectis parochias fuerit impunè populatus.

Ita quando per hujus anni curriculum foris Sueonum politici cum hostibus terrâ marique dimicant, domi non minus Ecclesiastici pro suo more decertant. Quippè cum propter hostilem maris infestationem, raro vinum ex oris in Sueciam transmarinis importaretur, & propterea ob vini penuriam, sacris populus in regno passim defraudatus, tumultuaretur, Rex cum Archiepiscopo, & Episcopis Stockholmiam vocatis, de remedio huic vini penuriae adhibendo, XII. Martii consultavit. Informatus autem perperam à Dionysio præceptore suo rex Ericus, quod hujusmodi propter necessitatem, loco vini liceret in administrando Eucharistiæ sacramento aquâ uti purâ, vel melle temperatâ, istud suggerens Præfulibus adminiculum. Quod Archiepiscopus, velut dogma hereticum, præcipue detestatus, cum hujus suafore assertoreque congridetur Dionysio, & licet sufficienter comprobasset, solam præfati sacramenti materiam esse panem ac vinum, manifestique adversariam erroris convicisset; tamen unus Antistitum, nempe Johannes Ofegius, Arofensium Episcopus, domum ex colloquio reversus, litteris per dioecesin promulgatis, asseverat, regiam esse voluntatem, ut in opia vini laborantes, in sacrificio altaris melicrato, vel aquâ uterentur purâ. Ideoque M. Laurentius regni Archipræſul graviter offensus, VII. Julii, apologiam pro vera sacramenti hujus materia, pane ac vino solum constante, publicavit, & Johannem, aliosque opinionis patronos contrariae, vehementer confutavit, ac haereseos damnavit.

Hunc retulit triumphum ex hostibus Laurentius internis, nec minorum rex Ericus, velut dictum est, ab externis, ipsiusque aliquod præbiturus simulachrum, seu spectaculum, hujusmodi sub exitum anni processu, veterem Romanorum adumbrante morem atque splendorem, ingrediebatur Stockholmiam. In primis ab australi urbis porta, omnes quæ ad castrum ducerent plateæ, aulæis & peristromatibus, priscos Romanorum Græcorumque triumphos exhibentibus spectandos, fuerant utrinque viarum eleganter admodum decoratae, ac magnificis passim arcibus ornatae triumphalibus. Civitatem porrò æneatores & tympanotribæ festivo intrant primi clangore. Hos equites veterani subsequuntur, & inde pedites, vexilla hostibus terrâ marique ablata præferentes inversa & complicata. Ipsi postea gradiebantur captivi, bini ac bini, quorum nobiliores sericio manus ligamine, alii canabino constrictas gerabant. Cæterum ponè istos insigni procedunt apparatu Proceres regni, quos terni comitabantur regii ephæbi, immediate Regem præcedentes, & totidem ipsum sequebantur, illustrissimumque claudebat agmen palatina equitum turma, quod in acropoli horrendo tormentorum reboatu libratores salutabant.

Post hunc rex Ericus triumphum, sepositis aliquantulum horridis  
D 2 bello-

bellorum exercitiis, blandis connubiorum tripudiis se accingit, & nuptias Cæciliæ sororis, Christophero Badensium Marchioni desponsatæ, quâ conveniens fuerat festivitate, peragit. His autem transactis, neogami per mare pèrgunt Revaliam, ubi, velut etiam Padisi, per hyemem commorati, veris initio in Badensem contendunt regionem.

Fertur porrò Ericus sororium Revaliæ hyemantem, morti, quibus de caussis ignoratur, destinasse; quam tamen evaserat. Sed postremo anni currentis mense Legati Pomeranicorum Ducum, Jacobus Citzvitus, & Andreas Borchius, Calmarniam advenerunt, Sueco persuasuri, ut novo consentiret colloquio, in aliqua Germaniæ civitate, cum Danis & Lubecensibus, pristinæ amicitiæ restituendis, propediem celebrando. Qui nonnullam simul habuisse commissionem de restaurando matrimonii negotio cum filia Hessi, Christina, perhibentur.

Anno MDLXV ineunte. Cognoscens rex Ericus prefatos ex Pomerania Legatos advenisse Calmarniam, suorum binos Consiliariorum, nempe Johannem Claudium, & Canutum Canutum, illuc transmisit; Qui Pomeranis congressi, cum his de connubio Hessæ non poterant convenire. Quamobrem ea post modicum exinde temporis, illustrissimo Holsatiæ Duci elocata Adolpho, huic postmodum inter alios genuit liberos, Christianam, Sueciæ reginam. Nec etiam super pacis negotio constituedæ, quicquam transigere poterant, & proinde infecta re, domum utrinque disceditur. Suecus autem non ignorans tales istud colloquium eventus habiturum, interim exercitum ablegat triplicem, quorum uno comes Petrus, XIV. Januarii, occœpit Elsburgum impugnare; altero Bohusium Achatius Benedicti gnaviter obsidet; & tertio Claudius Christiernius, XX. Januarii Hallandiam ingressus, huic grandem intulit vastitatem, Scaniæque, quam usque Helsingburgum, Lagaholmio, Istadio ac Engelholmio simul exustis, populatur.

Nec minus strenuam navat operam Achatius Bohusensium expugnationi, & intelligens hostes Halmstadii congregatos, obfessis in subsidium fraudulenter ac latenter adventare, aliquot turmis equitum emissis, illos profligat, & Andream Griis hostium captivat antesignanum. Attamen prorsus nullam arcis spem obtinendæ videns affulgere, solutâ obsidione, finitima infestat Norvegiam, & cum victoria, spoliisque amplissimis, in patriam reheat.

Medio Rex Ericus tempore, domi collocutus cum regni Ordinibus, Upsaliæ ad nundinas congregatis Disanas, ipsorum impetrat consensum, ut indigenam duceret pro arbitrio uxorem, si cum alienigenis non succederet matrimonium. Ibi simul deliberatum, de assignanda Duçi Carolo successionis jurisdictione; Quandoquidem Dux Magnus, quod mentis foret impotens, ad succedendum Regi, absque liberis forsitan masculis deinceps morituro, nequaquam idoneus videretur; nihil tamen pro tempore determinatum.

In Martio posteà Comes Steno Ericius, à Danica liberatus custodia, in patriam advenit, & quod bello inter Suecos ac Danos vehementius flagante, vinculis esset solutus, ipsum Rex Ericus habuit suspectum factio- nis cum hostibus clanculum initæ; propterea subveritus, nè Danorum & contribulium fretus auxilio, domesticos pro liberatione Ducis Johannis, velut sorore geniti, commoveret tumultus, illum perpetuo Nycopiæ carceri cum uxore ac liberis statuit mancipare, & nihilominus hujusmodi posteà decretum mutavit, pristinoque Stenonem favori, ac honori, restituit.

Quo Danus tempore moliens nuperam Hallandiæ & Scaniæ cladem à Suecis illatam vindicare, VI. ac XII. Aprilis, Sunderbogiam, Gödingiam-

que,

que, amplissimas Gothiæ australis provincias, devastat, & simul conatus suis in Elsburgo præsidariis commeatum adferre, instructâ classe, binis irrumpit ibi vicibus, & descensione factâ, licet Suecorum in Helsingia stationem invaderet, tamen cum ignominia fuit inde compulsus discedere; Verum in Maijo tantâ advenit potentia, ut violenter ad castrum penetraret, & Suecos hinc profligaret.

Atqui majus longè contigit Suecis prius infortunium Parnoviæ in Livonia; Quippe una equitum cohors Germanicorum, à Suetico exautorata Rege, quod integrum stipendii non accepisset solutionem, do-lo clavibus urbis potita, hujus referat portas, & octavâ secundum Paschæ follennitatem nocte, civitatem occupat Parnoviensem, omnibus in ea Suecis truculenter occisis. Deinde arcem senis oppugnat septimanis, & Castellatum in quodam captum prædio suburbano, Andream Petrium a Fardala, Equitem, in Poloniam transmittit, in vinculis detinendum.

Initio autem æstatis, nimirum III. Maji die, animosus & bellicosus ille Claudius Christiernius, cum XLVIII. navium classe in Balticum provectus Oceanum, hostilem sollicite indagat, & XXI. cognoscens IV. adversariorum navigia in quodam prope Stralsundum portu, & totidem in altero circa Grphisvaldiam aliquandiu delituisse, ut commeatum Sueciæ solitum ex his, & aliis Pomeraniæ urbibus nonnullis adferri prohiberent, in ipsa partem classis expedivit. Quamobrem utробique Dani, & Lubecenses, se Sueonibus actutum futuros prædæ animadver-tentes, refugium apud Pomeraniæ duces captarunt, horumque illi precibus commoti, legato ad Suecos transmisso, afferunt se velut amicos regis Erici, ac regis Friderici, neutri aliquod in suis portubus detri-mentum velle irrogatum; Ideoque flagitare, nè porrò illos infestarent, & spondent naves ibi arresto usque finem belli detinendas.

Interea Legatus Regis Suetici adhuc in Germania remanens Nicolaus Gyllensternius, ex Sundensi profectus urbe ad reliquam patriæ classem, XXV. Maji cum Admirario colloquitur, illoque mox in civitatem reverso, ex memoratis Pomeraniæ adveniunt portubus naves emissæ. Itaque Christierhus sponsione Ducum contentus, cum tota iterum classe in altum regreditur, quando intelligens Lubecensem sub Falsterbogia Danicam nec dum paratam expectare, illuc vela prorasque convertit. Die autem XXVII. Maji, nostram hostilis conspicata, sublatis quantocyis anchoris, sub Hafniam properavit, quam Suetica nihilominus infecuta, in urbis etiam conspectu intrepida pausavit.

Iste Sueonum adventus sub præfatam Daniæ regiam, in diem incidit Dominicum, quando Hafnienses sacris in Ecclesia operam dantes, cognito hostium appulsi, cum trepidatione per urbem discurrunt. Quos rex Fridericus non minore consternatus timore, templo etiam relicto, ubi spon-sorum adfuit consecrationi, tremulo hortatur sermone, ut hostibus civitatem forsitan invasuris, se viriliter fideliterque opponerent. Deinde consenso parone, classem accedit sociam, Lubecenses in ea vehementer obsecrans, ne periclitanti nimium modo Hafniæ, præsentem adferre opem gravarentur, velut etiam, ut Suecos ab ingressu freti arcerent, quod alias classis ibi Danica minus adhuc instructa consistens, hostiles non posset manus evadere.

Quorum benevolo Danus promisso magnoperè fuit vegetatus, nec ipso tamen hostis consternatus, ex onerariis mercatorum occidentalium, plus quam CCL. per fretum adventantibus in mare Balticum, XXIX. Maji, ve-tigal rege Friderico inspectante, plurimumque indignante, levavit. Atqui

Danorum, & Lubecensium, hisque faventium onerarias non paucas simul interceptas, cum permagni precii mercibus in Sueciam ablegavit, in quarum una Sueci litteris Lubecensium potiti, quibus hostili significaretur classi, prætoriam in Thravæ ostiis consistentem, Lubeco propediem socias accessuram, sub spe hujus indubia obtainendæ, Lubecum versus postridie velificarunt. Tunc itaque Sueonum successibus, dominium sibi maris usurpantium, horum fautores Pomeraniæ mercatores animati, Stralsundio, Grifisvaldio, Colbergâ, & Volgasto, cum LX. naviis omnigenum Sueciæ commeatum apportarunt.

Calendis porrò Junii præatoria Lubecensium, arroganti dicta vocabulo, *Styr Sweden* / hoc est domitrix, si Diis placet, Sueciæ, hostilem eminus conspicata, saburram quantocius ejicit, & vadosam littori propinquam deligit stationem magis securam. Quamobrem Suetica sperato haud potita successu, & accessu, insuperque crebris impetita globis ex navigio ac urbis præsidio, in pelagus revertitur, ubi aliquandiu in civitatis propemodum conspectu obvagata ultrò citròque, onerarias Lubecensibus aliquot naves abstulit. Parata interim Danica, sociæque adunata, Sueticam minaciter indagat, nuperum sub Hafnia despectum vindicatura, & obviæ inter Vismariam Rostochiumque IV. Junii congregata, vehementissimo cum ipsa conflictu à meridie in vesperam decertavit. Quo temporis intervallo Lubecensis in circuitu solum spectatrix, non pugnatrix, velificabat. Nox autem diremit prælium, quod postridie cupientes Dani restaurare, nimiâ Oceani malaciâ congressu prohibentur. Die verò VI. Junii, conflictum detrectantes à Suecis oblatum, quod proximo admiralius prælio, Hartlevus Trollius, lethaliter esset vulneratus, plurimusque miles pariter sauciatus, subitum in freto Cymbrico quærunt refugium. Fugientem Sueci victores hostilem classem usque Mæoniam persecuti, jactis ibi anchoris, in continentem descendunt, & insulares obviam progredientes, acriterque pugnantes, cædunt, & cum insigni ad classem redeunt commeatu.

Hactenus in Livonia nonnulli quoque Sueonum arcem viriliter tutati Parnoviensem, quam denique, nullum à Rege subsidium armis Danorum distento, interea consecuti, IX. Junii Germanis cum eximio belli apparatu, illuc ex Suecia prius submisso, dedere compellebantur. Idem verò infortunium Sueones in Huitensteinio subveriti, quoslibet inde Germanos, Livonesque, velut proditionis suspectos, expulerunt. Sed novi Parnoviensem moderatores, etiam Revaliæ subactionem sibi pollicentes, tribus ab urbe milliaribus deinceps castra metantur, & nonnunquam ipso potissimum diluculo sub mœnia civitatis advolantes, cum præfidiariis audacter effusis velitantur, finitimamque populantur ditionem. Quocirca Suecus, nè Revaliæ simul potirentur, subveritus, illuc virum strenuum, Andream Nicolaium, cum aliquot equitum ac peditum cohortibus expedivit, horumque territus adventu hostis, Parnoviam repetivit.

Eodem propemodum tempore præfati ex Pomerania Legati, denuò suorum nomine Principum Sueciæ Regem Junio mense accedentes, illum pacis admonent cum Dano instaurandæ, ac propterea vehementer suadent, ut novum in Germania cum adversariis hoc super negotio colloquium, per suos non gravaretur Commissarios frequentare. Verum illud rex Ericus præcise abnuens, quod suis minus tuta foret Consiliariis profectio in Germaniam, conventum in colliminio regnum duntaxat cum hostibus invisendum approbat; eâ tamen conditione, ut Danus suam hac in re mentem priùs manifestaret. Quod ubi nactus esset responsum rex Fridericus cum Pomeranis ex Suecia reversis, mox se pacis amantem,

con-

conventusque per litteras declarat, consobrinum hortans, ut aequas transactionis conciperet conditiones, sibique transmitteret. Nec renuit rex Ericus, hanc inter alias pacis legem statuens potissimum, ut sibi Danus in qualemcumque damnorum & injuriarum compensationem, id cederet universum, quod in necessaria sui defensione belli jure occupasset, & prius alioquin ad Sueciæ regnum meritò pertineret.

Intolerabilem verò Danus sibi pacis conditionem arbitratus, subornat Carolum Dancæum, Regis Galici continuò residentem in Dania legatum, ut in Sueoniā profectus, simularet nuper se à domino in Scandiam, velut sequestrem pacis, esse transmissum, & regem Ericum ad tolerabiliora pacificationis media inclinaret. Nec Carolus difficulter persuasus, Danorum aliàs caussæ addictissimus, Sueticam ingreditur professionem, licet obviis regis Erici foret literis admonitus, ut nisi hostis nuper missis subscriberet conditionibus, in Sueciam non accederet.

Per idem porrò tempus comperiens Suecus, quòd sub pacifica hujusmodi deliberatione, Danus suis in Elsburgo præfidiariis opem latrus, Westrogothiam vastasset, & copias Sueonum, velut præfatus sum, ex suis sub castro stationibus profligasset, fraudem Danicam vehementer detestatur, & novo protinus exercitu conscripto, hostibus obviam prope ravit. Quando Comes Petrus, Sueticæ in Westrogothia militiae ductor, accusatus apud Regem officii minus audacter contra Danos administrati procuratique, illo defungitur, & Ivarus Magni substitutus, quòd exercitus jam esset nimium dispersus, ad Regem protinus revertitur.

Nec in mari à conflictibus interea feriatum est; Siquidem hostilis denuò classis instaurata, & post obitum Hertlevi Trollii, admiratio Ottone Ruth ornata, Oceanum infestis repetiverit signis, Suecosque furens quæsiverit; Cum his tamen VII. Julii sub Borenholmio minus feliciter confixit. Istâ etenim pugnâ nimium cruentâ, & truculenta, Sueones iterum victores effecti, prætoriam indè hostium, cum Admiralo, & plurimis captivorum aliis, Stockholmiam ovantes abduxerunt, non autem triumphantes; Quòd ipsimet etiàm non paucas in hoc prælio amiserint cohortes, & simul naves aliquot, hostium telis partim demersas, partim in potestatem horum conversas. Non tamen hostilis diutius in Oceano ausa permanere, ad fre tum pro more solito, refugit Cymbricum, nec in altum hoc anno prodit amplius, quòd Suetica victrix obvagaretur.

Plus nihilominus spei gubernator Parnoviensium Casparus ab Oldenbochem, veterum unus Crucigerorum, in raris, & parum claris Danorum viatoriis collocans; ac illorum, velut etiam Polonorum, Ducisque Magni consilio & auxilio confidens se Ethoniam Suecis bello alibi simul distentis, erepturum, decreverat in primis Revaliam denuò impugnare. Itaque auxiliaribus, & militaribus unde quaque agminibus contractis, illam XI. Augusti temerario prorsus ausu, multo tamen plausu, obsedit; & hostes triduò post Sueticus Livoniæ gubernator, factâ in diluculo eruptione, aggressus, de somno ita excitavit, ut horum non pauci momentaneum cum æterno commutarint; Superstites autem in præsubitam avertuntur fugam, quos miles viator non persecutus, ad prædam per hostium castra discurrit, idque non ignorans una profugorum turma equestris, insperata quantocyùs revertitur, & Suecis congressa palantibus, horum plus quam centum cecidit. Sed tandem ab hostibus catervatim concurrentibus profligata, fugientes insequitur commilitones, & Sueci castrorum se direptioni securius denuò accingentes, amplissimis ditantur manubiis.

Deinde resciens Sueticus polemarcha Henricus Claudius, hostem ex fuga

fuga quodam se loco colligere, illuc profectus actutum, in confertam explosit multitudinem belli machinam, & solus globo tactus ductor Livonum Casparus, illicò animam efflavit. Totus proinde exercitus, velut acephalus, mox dilabitur, & in autumno iterum congregatur, quandò Sueones hybernam ipsius stationem invadentes, grandem hostibus cladem inflixerunt, horumque primarii Revaliam perducti, quòd præstata Regi Sueonum juramenta priùs fidelitatis non servassent, vario afficiuntur suppicio.

Interea porrò temporis, rex Ericus in Suecia cum exercitu contra Danum usque in Westrogothiam progressus, ibi Dancæum habet obvium, qui cùm pacis negotia ex instinctu Danorum minus sincerè videretur tractare, illum Suecus extemplò remisit.

Postea Scaram Rex castra promovens, illic regis Friderici nanciscitur litteras, quibus bellum deligit potius, quam præscriptis pacem conditionibus. Hinc igitur rex Ericus, velut etiam quòd Scaræ intelligeret Danos, horrendam in Westrogothiæ incolas tyrannidem exercuisse, magis inflammatus, illos sub Elsburgo morantes, armis omnino impetendos statuit. Verum hostis cognito Sueonum adventu, inde secessit in Hallandiam, & porrò in Sconiam processit, quos nihilominus in Hallandiam Suecus subsequens, hoste ibi non deprehenso, totam in Varbergenses decrevit iram profundere; Ideoque datis mox ad ipsos litteris, hortatur ad spontaneam urbis & arcis ditionem, & contumeliosum inde nactus responsum, Varbergi demandat expugnationem Claudio Boye, ac Jacobo Henrico, sed ipsem ex consilio totius exercitus, cum paucis in Westrogothiam remeat, illic belli præstolaturus eventum. Quod autem bello rex Ericus præsenti, & præcedentibus aliquot, subsequentibusque se communiter subtraxerit conflictibus, ipsum minus audacem & bellacem fuisse, quidam non immerito existimarunt.

Magis itaque miles Regis absentiâ animatus, XXII. Augusti urbem cingit Varbergensem obsidione, & cùm incolas quatriduo, ac præfidiarias sollicitasset nequicquam cohortes, his etiam residui promissâ salarii solutione, ut sponte civitatem dederent, interimque Regis frater Dux Carolus, & amitus Dux Magnus Saxoniæ, in castra simul advenissent, horumque accessu plurimum esset miles vegetatus, parat irruptiouem; Sed urbem priùs inflammaturus, à prima noctis vigilia, XXVIII. Augusti diem præcedentis, usque gallicinium, projectis in eam continuò pyrobolis, totam fermè incenderat. Tum verò Sueones, inhabitatoribus & propugnatoribus non paucis in extinguendo distentis incendio, commodius irruptioni tempus advenisse rati, certatim muros scandere nituntur, & V. horarum spacio ab hostibus fortissimè repelluntur. Atqui tandem circa VIII. matutini horam adversariis facti superiores, vallo, urbeque totâ potiuntur, & tantâ feruntur in viatos nihilominus discretione ac compassione, ut non solum imbelli parcerent multitudini; verum postremò etiam multis præfidiariorum, arma deserentibus, & veniam poscentibus. Quam nostratum in hostes adeò protervos clementiam, Erasmus Lethus in epithalamio regis Friderici, miris extollit encomiis!

Ità præter civium nonnullos, L. pedites Germani, & C. equites Scotti, Gallique, fuerant incolmitate donati, ac hos quidem inter exitit famosus & bellicosus ille Pontus Delagarde, qui eximiam postea Suecis operam in Moschos navavit. Ac quamquam hunc Jacobus Typotius virum, in suis de Suecia notis, Guilhelnum appellat, sutoris, non Baronis filium, & monachum ex cœnobio profugum, deditumque latrociniis, aliquandiu decretam Coloniæ pœnam feliciter evasisse, ac in Daniam inde profugisse, hinc-

hincque, prout est dictum, in Sueciam pervenisse simul commemoret. Sed quām veritati conformiter, alibi discutiendum, & modò ad Varbergi expugnationem revertendum.

Accolæ porrò urbis Hallandiam incolentes borealem, cognitâ Varbergi expugnatione & devastatione, turmatim ad victores confluunt, Regem Sueciæ legitimum agnoscunt dominum, & huic subjectionem deferunt, litteris & juramentis firmatam. Deinde Sueones ipsam castris expugnationem, Rege inconsulto, non audentes aggredi, quod arte naturâque illud tantoperè munitum videretur, ut humanâ vix posset industriâ occupari. Et propterea temerarium, vel potius nefarium esse facinus judicantes, in frustranea hujus arcis oppugnatione gravissimis exercitum periculis exponere, regem Ericum in Orreholmio Westrogothiæ morantem hoc de negotio per litteras consulunt. Cæterum, nè interea occidentur, generali approbant decreto, ut quandoquidem hostis subsidio Varbergensibus appropinquare ferretur, ipsum paulisper excurrerent profligatum. Igitur V. Septembris Falchenbergum versus contendunt, & intelligentes hostem loco trans fluvium qui Halmstadium præterlabitur, inaccesso refugium captasse, & regium mandatum consequentes, ut Varbergensis tentarent omnino castris oppugnationem, post quatriduum eò revertuntur.

Ac XIII. Septembris die juxta Regis præscriptum, crebris mœnia castris displosionibus quatere occéperunt, & cum biduana tantum ex muris prostravissent fulminatione, quantum irruptioni sufficeret, Sueci castrenses, missâ tubicine, hortantur ad voluntariam arcis deditiōnem. At ludibriō solum excepti, XV. Septembris illucente die, per mœnium ruinas in arcem faciunt impetum, quem præsidiarii binis sustinent horis animosè, nec diutius valentes, victoribus cedunt Suecis. Illorum vero primarii, viso miserabili commilitum interitu, ad gynecaēum velut assylum confugiunt, ubi fœminarum illustrium magnoperè lamentantium intercessione, vitam retinuerunt incolumem prænobiles viri, Johannes Holch arcis castellanus, Cladius Thot, & Christopherus à Don baro, aliquique complures; Quibus in Sueciam ablegatis, immensas horum & reliquorum opes diripiunt; Castrum denuò communiant, ac illud Carolo Mornæo defendendum committunt.

Quandò autem Sueci arcis invigilant expugnationi, Georgius Bille unâ equitum turmâ, & V. peditum cohortibus stipatus, australē nititur devastare Gothiam, in eumque Laurentius à Scara cum duabus peditum turmis expeditus, adjunctâ regionis plebeculâ, tantam edidit hostium stragem XXVII. Septembris, ut ex binis horum millibus pauci admundū remanserint superstites, in Sueticam abducti captivitatem, duobus tantum ex Sueonibus in hoc conflictu desideratis, quod divinis miraculum, non viribus tribuendum humanis.

Tot proindè, tantisque Sueticus exercitus hoc anno partis contentus victoriis, cœpit domum vehementer anhelare, & inaudiens hostis maiorem illius partem ideo dilapsam, prodiit ex latebris, Vardbergensesque armis gnaviter impetiit. Nec audentes quædam adhuc residuae Sueonum cohortes, non inde procul constitutæ, ob suam paucitatem sociis in castro ferre subsidium, in propinquam secedunt Westrogothiam. Et nihilominus castrenses rebus suis haud diffisi, Danos tribus identidem vicibus irrumptentes, insigniter abegerunt. Ac intreâ horum antesignanus Carolus Mornæus, Regem de statu arcis per litteras clanculum informans, illius flagitat auxilium. Varbergensibus itaque Suecus opem latus tempestivam, dispersum convocat quantocius militem, & interim hosticum versus

cum palatina præcedens cohorte, in colliminio sui adventum exercitus præstolatur. Ac nè hostis solitam haberet effugiendi occasionem, emissæ protinus equitum turmâ, pontem exussit Falchenbergensem, & isto temporis intervallo congregatus regni exercitus, Regi suasit nè hostium una ingrederetur. Qui non difficulter persuasus, militem vehementi oratione ad pugnam accedit, & indè Ienecopiam festinus contendit.

Dux porro exercitus Suetici Jacobus Henricius, infestis Hallandiam signis ingressus, XIX Octobris die, cognoscit Danos, omissa Varbergi oppugnatione fugam maturare, & quandoquidem Falchenbergensis denegaret pons nuper exustus illis transitum, ad vadum properare hujus unicum fluminis Suarteragense. Illuc propterea Sueones festinanter progreffi, locum pugnæ deligunt valde oportunum, nec idem hostis negligit, licet Sueonum conspectâ multitudine, fluvium potius transvadaret, quam cum illis tunc belligerasset. Ideoque suis diffusis viribus, in genua provolvitur, & manibus in cœlum protensis, divinum haud frustrâ implorat auxilium. Sed nostrates suæ magis potentiaæ ac frequentiaæ imprudenter confidentes, laudabilem hujusmodi adversariorum subsannant pietatem, & cum detestabili vociferantes contemptu, ingeminant: *En Jutones nobis facti supplices, se captivandos, non irucidandos offerunt!*

In primis autem eminus pugnatur aliquandi, quod alter alterum, commodissimâ pugnandi relictâ statione, cominus aggredi tergiversaretur. Et demum Sueones haud considerantes quod cum hoste non esset beligerandum desperato, statione desertâ, in Danos minus ordinatis feruntur agminibus. Igitur licet principio fortuna illis favere videretur, tamen prelio ingravescente, & unâ post alteram Germanicorum equitum turmâ profugiente, illam minus benignam experti, canunt serò nimis receptui, & nihilominus panis vexillis in castra recedunt. Siquidem plus quam VII. millia hominum utrinque jam occubuerunt, & horum plures Sueci desiderarent, præter captivos in Daniam indè abductos, quos inter potissimum fuerat, Claudio Achatius à Byestad, Equestris vir dignitatis. In Sueticam verò perduicti captivitatem Dani genere nobiles, Georgius Ulfstand, Christopherus Urne, Elardus Krasse, & Henningus Tornau, præter ingnobiles numero frequentissimos. Cæterum quando nox prælium tacito partis utriusque consensu diremisset, Dani Halmstadium progreffi, protinus hinc dilabuntur, & Sueones nec victi, nec victores, ob rem tamen minus prudenter gestam animis perturbatores, in Gothiam revertuntur.

Tempore autem conflictus, Ericum Ienecopiae convenit Dancæus, in Sueciam à rege Friderico remissus, cum hujusmodi pacis ineundæ conditionibus iniquissimis. Nempé prima, ut Suecus injustum se belli authorem confitens, Dano propterea impensos in illud sumptus refunderet. Altera, ut armis occupatas in Hallandia, Blechingia, Norvegia & Livonia ditiones ac munitiones; velut etiam naues cum omni apparatu in Oceano debellatas, consobrino restitueret. Tertia, ut Elsburgum cum præfectura ipsi castro subiecta, & tota Verendia, vigore cuiusdam contratus inter Valdemarum Daniæ & Albertum Sueciæ reges olim initi, omnino eidem permitteret jugiter possidendum. Quarta, & ultima, ut consummato, ac obsignato, his legibus pacis negotio, amplius non uteatur Suecus inter sui regni insignia Danicis vel Norvegicis, ast Dano tantisper tribus Sueonum coronis inter Danica frui permitteretur, donec sententia in Academiis lata Germanicis, harum illi usum derogasset.

Quamobrem ista rex Ericus paradoxa responso non dignatus, Ienecopiam Vastenum divertit, & in via percussus nuncio de pugna Suartera-

teragenfi, exemplò in Hallandiam remeasset Varbergo latus auxilium, nisi huic nullum omnino discrimen ab hostibus domum regressis esset formidandum, liquidò cognovisset. Porro tamen procedere nolens, reliquum anni Vasteni transgit, & Varbergensium necessitati omnimodas tulit supprias. Interimque uberius de nupero informatus conflictu, mandavit Nicolao Sture, ut cum suis invaderet cohortibus aliquot Germanicorum turmas equitum, hasque internecioni traderet, quod ex prælio turpiter fugissent memorato, & cum hostibus fortassis etiam collusissent. Iussus præterea non pauca Vestrogothiæ territoria ferro flammaque devastare, quod horum inhabitatores Danorum essent fautores; neutrum voluit mandatum, velut nimia plenum tyrannide, Nicolaus exequi. Hanc proinde ob causam, sicut etiam, quod cum vexilli esset gerulus prætorii bello in præfato, ferretur illud perticâ detractum in femoralibus abscondisse, unaque profugisse, gravissimam modò incurrit Regis indignationem; hanc tamen dissimulantis, & vindictam in annum sequentem prorogantis.

Vetus insuper rex Ericus fuit odium erga Nicolaum, & reliquos Comitis Suantonis filios, quod hos suspicaretur Ducus Johannis, velut consobrinos, liberationem cum aliis in regno contribulibus moliri. Et huic propterea familiæ, sicut etiam, quod ipsius majores clavo regni olim assedissent, continuò insidiabatur. Nec minores tendunt regi Erico insidias Dani ac Lubecenses, qui vario & multifario illum commeatu ex quibusdam Vandaliæ civitatibus haec tenus quotannis apportato, plurimum animari, & armari, probè considerantes, denuò per Saxoniam Principem cum Imperatore humillimis agunt precibus, ut illos suo cogeret edicto mercatores ad supersedendum hujusmodi aliquandi navigatione, negotiationeque, reliquæ propemodum Europæ nimis perniciōis. Ideoque Cæsar istorum diuturnâ victus petitione, amicis prium litteris hortatur Suecum, ut armis paulisper suspensis, se controversiæ deligeret arbitrum. Deinde quando tabellarius in Sueonia responsum æquo diutius præstolatur, iterum super eodem negotio Cæsar molestatus, Viennæ edictum publicavit.

Hinc Dani nonnullam belli politiæ frigidam incendio affusam sibi persuadentes, Ecclesiasticum novas in Dania flamas extollere conspiçantur, & magnoperè illud admirantur. Etenim Nicolaus quidam Hemingius, editis passim, & sparsis in regno libris, dogma patriæ Calvinianum obtrudere conabatur.

Anno MDLXVI ineunte. Henricus Claudius Livoniæ gubernator, eo cœpit consilio Parnoviām impugnare, ut quandoquidem bellicis omnino machinis destitutus, crebrâ incolas fulminatione subjugare non posset, illos diutiū obsidendo, & omnem præripiendo commeatum, ad pristinam denique revocaret subjectionem, urbisque & arcis ditionem. Ac propterea tremestrīs fuit hæc obsidio, & interim Parnovienses missō in Poloniam nuncio, subsidium indè flagitarunt, posteaque impetrarunt.

Circa principium etiam anni hujus Isabella, ducis Johannis & Catharinæ filia, in carcere mortua Gripsholmensi, Stregnesiæ humatur.

Sed inhumanissimus ipsius patruus rex Ericus, Vasteni haec tenus commorans, immisso eodem tempore nonnullis in hostium cohortibus, cladem vindicaturis Suarteragensem, Gœdingenses Daniæ subditos horrendâ multatavit calamitate. Nec tamen ita furens fremensque Regis animus placatus, Vastenō pergit rex Ericus Stockholmiam, hancque XXIX. Januarii consueto ingressus cum triumpho, fortiorē multo exercitum sub Bohusium Norvegiæ castrum limitaneum expedit. Qui XII. Martii oppugna-

tionem arcis viriliter aggressus, grandi mœnium parte diuturnis prostratâ explosionibus, quandò illâc in atrium castri turmatim penetrasset, multus horrendo periit interitu. Nam præfidiarii pulvere subtûs tormentario actutum inflammato, Suecorum plurimos crudelissimè perdidérunt, & arcem obsidione liberarunt.

Gubernator autem Livoniæ, non tam hujusmodi sub Parnovia veritus infortunium, quam adventantibus ex Polonia copiis urbi auxiliari bus nonnihil forsitan territus, soluta quantocius obsidione, in Oeseliam ideo prædatum cum exercitu perrexit, quod Magnus regionis dominus, velut hostis Sueonum conjuratus, Parnoviensibus nuper Revaliam impugnantibus non modicum tulisset subsidium. Ast inde cum prædiis Sueones amplissimis remeantes, ac ovantes, Polonica invaserunt agmina, & illis fugatis, spoliatisque, non minoribus Vichiam Sueciæ provinciam, cladibus affecerunt, & cum tripudio domum redierunt. Porro qui Sueonum in Norvegia & Livonia hujusmodi discrimina incolumes evaserunt; in patriam regressi, tamen perierunt. Siquidem contagio pestis horrendum in Sueonia & Livonia hoc tempore graffans, illorum plerosque cum aliis hominum innumeris propemodum sustulerit.

Ac licet hujus pestiferæ luis incendium navales simul copias non parum adureret, his tamen Suetica classis instructissima, XXIII. Mai Oceanum ingredi haud formidavit, ut hostilem inde profligaret, & necessarium patriæ commeatum procuraret. Quoniam amicæ Sueonibus in Pomerania civitates, Imperatorio percussæ edicto, consuetis supersederunt commerciis, & Dani occiduis per fretum advenientibus mercatoribus, omnem similiter cum nostratis negotiationem sæverissimè prohiberent.

Atqui XX. Junii die, nascitur Gripsholmiæ Sigismundus III. Poloniæ rex, V. post meridiem horâ, & XIV. Julii sacrosanctâ baptismatis undâ conspergitur.

Hoc etiam temporis curriculo, filium rex Ericus Gustavum ex amplexibus concubinæ suscepserat, quæ Catharina nomine Sueonum deinceps regina eyasit, & cum istud matrimonium permagnam Regis infortunio caussam præbuerit, altius paulò narrationem de ipso in gratiam lectoris exordiar. Erat Catharina humili admodum genere propagata, utpotè filia cuiusdam Magni, agricolis nati parentibus in Medelpadia, qui decurionis natus officium, inter præfidiarios castris Stocholmensis milites, eò migravit, ubi filia tenuem parentum sustentationem quopiam simul lucello alleviatura, in foro nuces escario habuit vienales. Quâdam vero vice illac pertransiens rex Ericus, conspectæ obiter hujus puellæ oppidò delectabatur formositate, ab illoque jussa nuces deferere, in gynæcæo deinceps Principis Elizabethæ liberaliter profecto educabatur. Atque cum nubiles attigisset annos, Rex magis decore & amore illius captus, ad suos ipsam complexus pellexit, ac tantoperè ob singulares animi corporisque dotes dilexit, ut vagæ omnino libidini non solum deinceps valediceret, sed etiam pacta deferens nuptiarum, cum illustrissimus in Germania, Anglia & Scotia, fœminis instituta, unicam suo thalamo Catharinam deligeret consortem; Id tamen præcipue postquam Gustavum ipsi filium, & Sigridem genuisset filiam. Quamquam nonnulli existiment, quodam regem Ericum philtro à Catharina propinato, in primis usque amantem ipsius evasisse, & postea redditum inde amentem.

Quam nec improbañs, nec approbans opinionem, non diffiteor regem Ericum quandoque parum sani fuisse cerebri; Sed istud per inter-

valla

valla delirium quidam alii, velut hæreditariam à matre, simili mentis vitio nonnunquam laborante, contractam reputant labeculam. Cæteri porrò eam tribuunt leviorem animi subinde perturbationem, nimio astrologiæ studio. Quamquam nonnulli etiàm, his prorsus opinionibus tanquam veritati minus conformibus explosis, contendant regem Ericum ab hujusmodi vitio penitus alienum, amentiam duntaxat simulasse, ac finxisse, ut si quod facinus in Proceres sibi suspectos committeret, amentiae prætextu excusaretur. Quorum tamen assertionem nemo in Historia hujus Regis aliquantulum versatus, probabit unquam; Ex illa siquidem luce passim clarius meridianâ liquet, & præsertim quo commemorat loco tragædiam Upsalensem, regem Ericum minus subinde mentis fuisse compotem, huncque à natalibus furorem derivatum, suspicionibus, & malignorum suasionibus consultorum, vehementer indies procreville.

Verum ad regis Erici amores redeat calamus, in quibus adeò fuerat zelotypus, ut cum semel quandam vexilliferorum suorum nomine Maximilianum, in gynecæo cum Catharina loquentem, & huic valedicentem depræhendisset, illum culeo insutum, in flumine curarit Stockholmensi suffocandum. Nec tamen usque graviter fuisset mulctatus, nisi velut procul quondam Catharinæ, nimiam Regi zelotypo criminis suspicionem movisset.

Hactenus autem dissimulata in Nicolaum Sture indignatio, modò erupit, illeque præfati sceleris palam accusatus, quâdam idcirco ignominia judicatur afficiendus. Nec ullis agnatorum & cognatorum precibus Rex placatus, hoc probroso Nicolaum spectaculo per Stockholmiam mandat deducendum. In australi suburbio impositus equo admodum strigoso, in forum urbis ferrarium, quibusdam Finnis præcedentibus, quorum bini horridum tubis corticeis sonitum edebant, & reliqui pineis plateas cacuminibus verrebant, perduebatur, ubi Jacobus Theitus serto illum stramineo coronavit, patentem ipsi obtulit chartam, litteris vacuam, & prolixâ Nicolaum oratione exagitavit, inter alia commemorans, antistitiam mulgendi lactis in prædio regis suburbanò, talem ipsi corollam, ob fidelem patriæ operam in prœlio navatam Suarterageni, transmisisse, & pecuarium illic notarium, laudabilia vexilliferi prætoriani facinora ibidem exhibita, in hujusmodi charta, velut folio Sibyllino, descripsisse.

Serto autem Nicolaus in terram abjecto, sui orditur excusationem, & cum in ea Regem vehementius perstringeret, Georgius Petrius potissimum hujus tragædiæ chôragus, ex propinqua fenestra caput proferens sceleratum, regio mandat satellitio, hastis oratorem nimis vehementem, nisi quantocius conticeret, transfigere. Mortis itaque metu percusus filuit, & cum appensa ephippio charta patente, plurimumque volitante, reliquum continuat triumphum, quo per omnes urbis plateas vectus, in hospitium denique traducitur. Nec multo post tempore, novâ fautorum intercessione, Regis gratiæ, ut sibi persuaserat, restitutus, causâ matrimonii Legatus ab illo in Lotharingiam mittitur. Contumelia tamen Nicolao irrogata, præcipuos regni magnates, velut ipsius propinquos consangvineos, magis regi Erico infestos, & Duci Johanni adictos, reddidit.

Haud etiam minus eosdem in sui provocavit ille perniciem, quod Olavum Gustavum à Torpa Baronem, & Nicolai confobrinum, in suspicionem proditionis vocatum, equuleo, & mortis suppicio, destinaverit. Quod nihilominus evasit Olaus, non quidam ex Gallia Comitis filius,

quem rex Ericus, quod per Daniam fortassis in Sueciam gratia militandi accessisset, sibi venenum suspicatus propinaturum, crudeliter mactavit, licet in agone insontem se protestaretur, & in hac confessione moreretur.

Immò non tantum summis regni viris, pestis illa reipublicæ detestanda, suspicio, sed etiam infimis laqueos mortis tetendit. Nam rex Ericus hujusmodi nimium inflatus malo, aliquot centenos agricolarum in Västergothia & Smalandia, factionis cum Dano forsitan accusatos à quodam Olao Arvidio mortalium nequissimo, ejusdem operâ mactavit; & velut fama refert, primarios in qualibet per Smalandiam parochia, morti rex Ericus destinavit, ut reliquos metu inde consternatos, sibi magis promtos ad quodvis efficeret obsequium. Verum enimverò utut suspicaci, & sagaci fuerat idem Princeps ingenio, tamen à fraudibus impostoris cujusdam mendacissimi, & Sinoni Trojano simillimi, Ennonis Brunroch, sibi cavere non potuit.

Ils enim prænibili apud Norvegos genere se natum dictitans, isto venit tempore in Sueciam, ibique velut plenus dolis & arte pelasgâ, monstratis litteris quibusdam, ab ipsomet forsitan confictis, persuasit Regi se à primariis Norvegiæ ordinibus, veterem Dani tyrannidem magnopere detestantibus, & Suecum vehementer dominum exoptantibus, allegatum, ut illorum nomine omnium his de rebus cum rege Erico clanulum trasigeret, regiamque voluntatem intelligeret. Hinc itaque rex seductus, plurimis veteratorem donat muniberis, & militarem parat sumptu gravissimo illuc expeditionem.

Cæterùm hactenùs Sueonum classis Oceanum pervagata, hostilem studiosè ac furiosè indagavit, & tandem intelligens in freto illam Danico versari, ut CCC. mercatorum onerarias occidentalium, aliò quam in Sueciam navigaturas, per balticum incolumes deduceret, illuc XXVI. Junii festinavit. Sed hostes pugnam omnino detrectare animadvertis, contenta illos provocasse, & vectigal tertio à quibusdam ibi mercatorum navigiis in Danorum conspectu levasse, anchoris postridiè sublati, hostilem eâ præcedit intentione, ut subsequentem loco deinceps opportuno, vel invitam adoriretur. Hoc itaque proposito Suetica jactis sub Mœonia anchoris, adversariam præstolatur, quæ XXIX. Junii præfatis stipata onerariis adveniens, & Sueticam conspiciens, eminus substitit, nec ausa progredi, aut hostibus pro tempore congregdi, classem potius à se mercatoriam expedit. Nec hujus fuit adventus Suecis ingratius, cùm sale potissimum esset onerata, cuius patria diu laborasset inopiâ, & ideo hactenùs plurimum expectata. Propterea cum non liceret illis per auram nimis adversam Danos ac Lubecenses accedere, vela inde prorasque convertunt, & plus quam CC. onerarias ad varios urbium in Sueonia portus traducunt, ubi negotiatores hujusmodi suas cum grandi lucro vendiderunt merces, & posteâ incolumes, locupletesque magis domum redierunt.

Atqui classis Sueonum in mare deinceps regressa, & XXVI. Julii sub Oelandia hostili congressa, tot ipsam detrimentis afficit, ut in periculo & vado sub Gotlandia portu refugium trepida captare coegeretur, nec stationem auderet mutare, licet ab insulae præfecto discritinis admoneretur. Post modicum igitur temporis, gravissima tempestas suborta, classem scopolis vadisque allisit, & tantoperè collisit, ut XVI. navium potissimæ, quas inter utraque fuit prætoria, illic perierint, cum Admiraliis Johanne Laurentio & Bartholmæo Thennapelio, simulque IX. millibus classiariorum. Reliquæ autem sedatâ tempestate, do-

domum relapsæ, in pelagus hoc anno non prodierunt. Nec hujus ignara periculi Suetica, hostibus tūm temporis supersedit pérsequendis, non tamen à discriminē fuit penitus immuniis. Nam iisdem dispersa tempestatibus, gravissimè diu jactabatur, & tandem uno solum navigio amissō, in fauces maris Stocholmiam ducentis VI. Augusti salva deferebatur.

Interea non minus infelicitē Dani prælio Sueones terrestri oppugnarunt: Siquidem Julio mense factā in Westrogothiam irruptione, totam fermē vastarint, Törpam, Orreholmum, Vinstorpium, Falecopiam, Licopiam, Hægnetorpium & Scaram, opibus spoliata, præter innumeros alios vicos ac villas inflammārunt. Verum inde remeantes, promeritas luerunt pœnas vastatæ regionis. Quippe Carolus Mornæus, viris, & viribus, Gothiæ reliquæ, regio quantocius mandato sub vexilla coactis, Danos in redditu prædis onustos, in nemore aggressus Aleksensi, plus quam bina illorum millia prostraverat, & superstites captivis, manubiisque propemodum omnibus nudati, partim Elsburgum, partim Bohusium profugerant.

Quando rex Ericus Oerebrogiæ cum altero constitutus exercitu, ex tota Suecia congregato, intellectā hostium profligatione, majorem illius partem ob grassantem in eo pestem, remisit domum, & ipsemē socio duce Carolo, Vastenum cum reliquo progressus, ibi maritimum quoque hostis sub Gotländia infortunium cognoscit.

Ideoque tempus Halmstadio ratus impugnando oportunum advenisse, illud Claudio Christiernio negotium à classe vocato, commiserat. Qui cum præsentibus hosticum versus copiis profectus, in villa moritur Abygensi, heros ob clarissimas terrâ marique pro patria diu res laudatissimè gestas, vitâ dignissimus longiore; & Boëtius Griip Claudio subleitus, Halmstadium XXIX. Septembris adoritur. Incolæ porrò ad fraudes conversi, triduanum petunt deliberandi tempus super urbis ditione, & voti compotes facti, permagnum Dani exercitum Elsburgo, & Bohusio in subsidium advocant. Hujus proindè Sueones adventu, cum ipso viribus longè forent inferiores, perterriti, solutâ obsidione, vicinam diripiunt Hallandiam, & cum prædis, captivisque, in Gothiam ad hyberna redeunt incolumes.

Circa istud demum hujus seculi curriculum, quidam Laurentius Nicolai Tonsbergæ in Norvegia genitus, studiis Lovanii absolutis, Jésuiticum amplexatur ordinem, indeque temporis progressu vocatus in Sueciam, in ea primum, & deinceps in Dania, Norvegiaque, doctrinam Ecclesiæ Catholicae, ubique fermē sepultam, de tumulo in lucem producere non paucis annis conatur, prout sequens historiæ pro cursus sæpenumerò commemorabit.

Anno MDLXVII. Novus in Livonia exercitus dux Suetici, Claudius Kurselius, ab insigniore quopiam facinore suum auspicaturus officium, in oppido prope Rigam, Temptelensi, excubantes aliquot Polonorum cohortes fraudulentē oppressit, & plurimis ibi hostium prostratis, insignem concessit prædam, indeque cum ea, & victoria minus honesta recessit. Poloni autem hanc vindicaturi cladem, ex vicinis confluent turmatim regionibus, & in Sueones pergunt ductore Nicolao Tolvencio, hostibusque obviam nostrates audacter procedunt, moderatores Henricum Claudium & Kurselium habentes. Uterque porrò exercitus III. Februarii propè limitem Vichiæ concurrit, ubi Polonicus, velut numero frequentior, & potentior, tantâ Suecos vicissim clade afficit, ut plus quam bina horum millia partim trucidarit, partim captivarit, ipfis

ipsis nostratium ductoribus haud citra difficultatem maximam manus evadentibus hostiles. Deinde victores in Vichiam & Harriam effusi, ad ipsam usque Revaliam ferro & flammâ inhabitatores populantur.

Verum initio anni Rex Sueorum ipse metit fraudulentio præfati Ennonis Brunrocchii consilio seductus, binas equitum turmas, & quaternas peditum cohortes, in usitato per Dalecarliam itinere, impugnatum & occupatum miserat Norvegiam, quibus cum impressa non pauca expediverat sua rex Ericus diplomata, Noricis aurea promittens secula, si dominio Sueorum colla submittere non tergiversarentur. Miles verò amissi beneficio inviam XX. milliarium emensus sylvam, in Hedemarchiam Norvegiae provinciam, VI. Februarii, lassus admodum pervenit; Ibique omnimodâ commeatus abundantia refocillatus, post quadriduum obsidet Hammarhusium, istius propugnaculum regionis, quod Lago Broch animosè principio defendens, tandem XIV. Februarii Suecis pandere cogebatur. Itaque victores suo firmant arcem præsidio, & Hedemarchios Sueciæ subjugant, porroque festinantes, incident in castra rusticorum, nemus obsidentium, & hosti transitum prohibere molientium. Quibus tamen minus difficulter profligatis, Achershuisum versus contendunt, & Sueorum territus adventu, Magnus Suale, hujus dynasta provinciæ, vicinam inflamat Aslogiam, & cum incolis, horumque divitiis, in castro protinus captat refugium.

Quando nostrates huc demum progressi, in vastata nuper civitate castra metantur, oppugnationemque arcis, XXIV. Februarii, auspicantur, postquam æneatore ad castrenses ablegato, expectatum super ditione responsum non obtinuerint.

Et dubio procul arce Sueones potiti fuissent, si bina, quæ imprudenter domum remiserat ipse metit polemarcha, minus rerum bellicarum peritus, Johannes Siggonius, tormenta secum murifraga illuc ad vexissent. Quamobrem his destituti machinis, exsibilantur magis ab adversariis, quam formidantur, & otio plus quam belli negotio reliquum hyemis transfigunt, interea solum orientales alpium accolae, fidelitatis juramento Sueciæ obligantes, non Achershuisensis incolas regionis, quod tamen castro expugnato, se præstituros etiam hi absque tergiversatione, pollicebantur. Confluebant quoque Norvegorum plurimi aliundè, qui promissa Suecis subjectione, insignia Sueciæ impressa, velut salutares obtinent thesseras, pro aliquot thaleris Imperialibus, quod his muniti symbolis, ab excurrente identidem Sueorum milite, non spoliarentur. Huic porro nostratis intentis nundinationi, castrenses missi in Daniam nuncio, auxilium flagitant; quod ipsum faciunt simul Sueones, prætereà obsecrantes, ut Rex machinas pariter alias illuc transmitteret quantocius, mœnibus idoneas prosternendis.

Nec Suecus Norvegiae cupidissimus, diu moratus, militares Vestrogothiæ cohortes eò per occiduas Noricorum ditiones, senis instruetas hujusmodi tormentis, sub exitum brumæ ablegavit. Istaisque Sueci suppetias nacti, se arcis expugnationi serò nimium accinxerunt. Nam post modicum exinde temporis, auxiliares etiam hostibus advenerant cohortes, quibus cum initio æstatis Franciscus Brochenhusius illuc appuerat. Is autem hujusmodi violenter in castrum subsidia inferre machinans, relictis navibus, ipso festi Pentecostes diluculo, Sueones introitum prohibentes adoritur, & plus quam CCC. suorum desideratis, ad classem trepidus revertitur. Ac nihilominus prælium horis pomeridianis instauravit, qui eminus globis ab hoste catenatis impetus, ad pristinam festinavit stationem. Et forsitan ibi tandem nostrates Danis prævaluissent,

sent, nisi viçtualium, globorum, ac pulveris inopiâ tormentarii nimium flagellati, prætereaque in Sueciam à rege Erico seditionibus domesticis implicato, actutum revocati, obsidionem ea propter deseruerunt. Itaque per Vichiam Norvegiæ remeantes, hanc diripiunt, & Hammarskiofum, quod minus esset contra hostes munitum, flammis consumunt, cumque præda opulentissima, L. solùm viris, in hac ultrò citròque facta expeditione, desideratis, in patriam redeunt.

Hostes vero regis Erici, post cladem anno priore sub Gotlandia acceptam, pacis haçtenus magis studiosi, quam belli, Cæsarem interea permoverunt, ut novam susciperet controversiæ recognitionem. Ideoque diem partibus, nimirum Suecis, Danis, Polonis & Lubencensibus, mense Martio Stralsundii comparituris, dicit, hujus ventilatione litis, & transactione, Friderico Rheni Palatino ac Pomeraniæ Ducibus commendatâ. Illucque omnes, imperio non reluctantæ Cæsareo, tempore condicto advolarunt, præter Suecum, qui litteris eò perscriptis, suorum excusavit absentiam, & inaudiens Nicolaum Sture à Lotharingia rediisse, ac Stralsundensi conventui interfuisse, miras in suo parùm fano cerebo, conjurationum forte fabricavit chimæras. Quibus Georgius Petrius, velut solertissimus harum compater, nomina imposuit, asseverans hinc liquido constare, quid Sturei foris cum regni hostibus, agnatis domi, & cognatis, saceris ac generis, sororiis & leviris, affinibus, confinibusque, pro nuperæ dubio procul contumeliae Nicolao irrogatae vindicatione, simùl avitæ forsitan dignitatis recuperatione, & Ducis Johannis liberatione, in Regem machinarentur.

Huic etiam deliberationi consultor adhibitus quidam Dionysius Beureus, Regis in juventute constituti præceptor, afferit, ut corpus hominis, né in graviorem laberetur ægritudinem propter humorum copiam, phlebotomiâ indigeret, itâ & reipublicæ, quando suspectâ quorundam potentia magnatum, velut morbido humore ac cruento, nimium turgesceret.

His igitur conjecturis suspiciosus & meticulosus Princeps sedatus, in easque vanâ quâdam astrorum consideratione magis induetus, explorandi solùm gratia in primis, an hujusmodi sub incude foret conjuratio, non suspectos mactandi, statuit per fas, nefasque, in eam inquirere. Unde cum post temporis paululum regi Erico foras exspatianti, occurrisset in suburbio Stocholmensium boreali auctor comitis Suantonis Sture, unâ gestans manu tubum, alterâ bombardæ seram, ad fabrum deferendas sclopétarium, captum tradit Georgio Petrio examinandum. Qui mandatum non segniter executus, primum minis & torturis, deinde promissis captivo centum thaleris, inducere ipsum conatur, ut se provocatum à Comite ad trajiciendum glande Regem plumbeâ fateretur; & tamen scelus abnuentem, morti adjudicat. Verum quando ad illam educebatur, à rege Erico fuit revocatus, ad metallaque damnatus.

Hâc proindè fraudis viâ Rex, & Georgius, voti compotes non fæti, certiore compendiosiore ingrediuntur. Siquidem juvenculo cuidam ex Germania, seu Pomerania, mercatori Petro Sostro persuaserunt, ut assereret se nobilis cujusdam Pomerani, Josua Genevitz appellati, relationibus nuper cognovisse, quod Nicolaus Sture, consilio indigenarum alienigenarumque fretus, regiâ Ericum regem dignitate

propediem esset privaturus. Huic pariter narrationi, Doctor Vilhelmus Lemnius, & Alexander regius organicen, largitionibus forsitan corrupti, velut calumniatores Susannæ, impostoresque, suffragati perhibentur. Quamobrem fundamento hujusmodi posito, ipsam Ericus rex, & Georgius carnifex, ædificii structuram aggrediuntur, Princepsque in primis indicta Stocholmiæ comitia, ad XVIII Maji diem celebranda Upsaliæ prorogat, idque propter detectas quasdam in regno coniurationes factum, tubis & tympanis per civitatis vicos follenniter promulgat.

Atque ut assertionem magis roboret, simulat minus tutam sibi Stocholmiæ interea commorationem, & propterea inde Suartesiogum tantisper migrat, ubi fastigium ædificio impositurus, quasdam concipit litteras ad Josuam Genevitum, ab ipso petens, ut promissam inde panopliam, & auream catenam, huc quantocius ad dominos mitteret, ipsemque simul eosdem ocius accederet propter nonnulla magni momenti negotia coram ponderanda, & per armaturam intelligens Polonos, ast per aureum Danos torquem indigitans. Deinde vocatum cogit D. Abrahamum, Domini Gustavi Olai Baronis à Torpa filium, ut fallaciis & minaciis Georgii Petri seductus hujusmodi describeret epistolam, & subscriberet. Quod tamen fraudem subesse non ignorans, facere diu recusavit, donec Georgius cum aliis duabus exemplari subscribens, testaretur Abrahamum Regis jussu illud solummodo descriptisse, nec ipsi quicquam inde periculi formidandum policeretur. Attamen secus prô dolor, accidit; Quandoquidem protinus divulgarit rex Ericus, litteras Calmarniæ proditorias, Stocholmiæ XV. Aprilis conscriptas die, interceptas esse, isto exploraturus rumore an quispiam Procerum sibi male conscius, fugâ proderet coniurationem, & ipsummet Abrahamum in fædam ibi custodiam detruserit. Apud quem deinde mortuum absconditum in vestibus epistolæ apographum inventum, ejus innocentiam, & regis fraudem prodidit evidenter.

Sed interea rex Ericus suis invigilans molitionibus, cum nihil clam proficeret, palam cœpit agere cuniculos insidiarum. Nam Eri-co Sture, absentis fratre Nicolai, in tam fædum detruso carcerem, ut captivi vestimenta glires etiā corroderent, ipsius scrutatur supellecilem, & deprehensā in uno scriniorum quadam schedulâ, magnoperè sibi gratulatur. Atqui triumphat rex Ericus ante victoriam, nec proditorum fuit illud scriptum, cum hujusmodi confectum esset occasione, ac intentione. Interfuerat Ericus nuptiis Sivardi Kruses, in quibus ille, & Steno Baner, cum quadam jocati virgine, hanc appellarent signigeram, quod nacta vexillum ex gallo, ut vocant, sponsali, manu illud circumgestaret. Postridie autem sponsæ munuscula pro consuetudine oblaturi, huic scribunt virginis, & ad jocum alludentes hesternum, vocant ipsam vexilligeram, faustosque optant illi cum suo milite successus, ac demum à jocis ad seria conversi, obsecrant, ut aurum schedulæ inclusum, sponsæ ipsorum nomine non gravaretur præsentare. Harum itaque adeptus Rex litterarum exemplar, ipsum velut suo proposito accommodatum, secus interpretatur, nec dubia se præditionis argumenta comprehendisse ratus, parentem Erici Suantom, Stenonem Ericum, illius avunculum, & Stenonem Banerum schedulæ confortem, in Suartesiogense accitos prædium, in vincula simi-

similiter conjicit, unaque Jvarum Jvarum, Equestris virum dignitatis. Ejusdem præterea factionis suspectos habens rex Ericus, comitem Petrum, suum amitum, & hujus sacerum Gustavum Olai Baronem à Torpa, Ericum Gustavi filium, Thuronem Petrium, velut generum Suantonis futurum, Claudium Flemingum, Hogenschildum Bielche, atque Claudium Achatii, Equitem, quod ex Dania esset oriundus, indeque nuper minus difficulter de custodia evasisset, istos ad comitia citavit Upsalensis.

Interea verò comitem Suantonem, tanquam reliquorum antesignanum, proditionis omnino convicturus, servitorem ipsius Gustavum Ribbing, quaestoribus subjicit, & cum nolle is quicquam in dominum comminisci, XIII. Maji Suantonem sifit nihilominus judicio. Qui licet suo, filiorumque nomine, per Georgium Petrium in præsentia Regis coram judicibus gravissimorum accusaretur criminum, idque vehementissime; tamen insons ille calculo etiam regis fuit declaratus. Rex Ericus siquidem in fine actionis, ipsum ita compellavit: Non ignoramus Suanto, te nobis propter Nicolaum filium esse minus addictum; tamen Georgi, cum nullam, pro tempore, culpam in eo deprehendas, libertati volo restituendum. Toto autem tempore hujus Suartesiogensis tragœdiae, Mereta Suantonis consors mœstissima, in casis arci propinquis detenta, nec maritum nec filium alioqui permittitur; ut neque in via, quando post quatriduum cum reliquis indè Upsaliam captivis transveharentur.

Enimvero quanquam Suanto ipfā Regis sententiā insons foret pronunciatus; tamē XVII Maji cum aliis V. ad conventum expeditur Upsalensem, ubi porrò examinandus esset. Quò postquam cymbis essent singuli diversis, nè in via colloquerentur, perducti, longè squallidioribus separatim includuntur carceribus, quibus simul Hogenschildus fuisset mancipatus, nisi pro Svantone socero sibi dilecto intercedere quantocius deftisisset, hospitioque se prudenter continuisset. Cæterum postridiè inchoantur comitia, & XIX Maji cum Ordinibus ipse met locutus Rex Ericus, præfatos testes, ac binas saepedictas producit litteras, hisque dominos captivos perduellionis convincere plurimum satagit. Quod ipsum secundo & tertio postmodum die Georgius Petrus & Dionysius multò vehementius præstare conantur, absentes criminando, & mortis sententiam, velut in perduelles, ab ordinibus flagitando.

Atque interea temporis Nicolaus Sture in Sueciam peregrè reversus, quamvis istum haud ignoraret tumultum, tamen optimo fretus conscientiæ innocentiaeque testimonio, Upsaliam audacter festinavit. Quam XXI mēnsis ejusdem die ingressus, in crepusculo ad ædes primum diverterat Archiepiscopi, ut ipso, aliisque regni Episcopis stipatus, in arcem protinus ascenderet, & Regi priùs legationis exponeret succēsum, quam captivaretur. Sed cum hujusmodi comitibus ad castrum progressus, non intromittitur, quod Rex cubitum se contulisset, ideoque cum Præsulibus revertitur, in domo Archiepiscopi pernoctaturus. Ast rex Ericus actutum excitatus, & super Nicolai adventu informatus, ipsum antequam hospitiū limen attigisset, emissis apparitoribus, in arcem revocat solum, ac postero die legatum auscultat, ex intrepido Nicolai accessu, manifesta captans innocentiae argumenta.

His proinde commotus, mox schedulam Suantoni perscripsit manu propriâ, quâ significat, suo Nicolaum libero adventu, se, parentemque, ab omni alienos culpa luculenter comprobasse, ac propterea obsecrat, ut quaslibet insontibus inflictas condonaret injurias, pristinamque servaret ille cum filiis patriæ fidelitatem. Suanto autem lubens & latus regiis annuit votis, nihil amplius sibi vel filiis periculi pertimescendum existimans.

Quapropter etiam Catharina Regis concubina, Comitis uxori haec tenus accessu prohibitæ facta benignior, vocatam consolatur, quod maritus & filii propediem in Regis Ordinumque confessu, præsentes objectis respondendi criminibus, ac se defendendi forent habituri facultatem. Post biduum deinde, videlicet XXIV Maji die, Princeps ipsem Stenonis Ericii carcerem horis meridianis ingressus, in genuaque ibi provolutus, supplex ab eo veniam poscit, quod insontem captivasset. Quâ Regis mirâ perculsus Steno deprecatione, vicissim ille protinus in terram procumbit, & luculentius vehementiusque regiam flagitat gratiam. Postea vero surgentes ambo, Suantonem invisunt, ubi rex Ericus simili usus exceptusque gesticulatione ac oratione, omnimodam ipsi & filiis indulgentiam spondet, dummodo injuriæ nollent moliri vindictam, hujusque metum protelaturus, filiam Comitis Sigridem postulat sibi uxorem. Nec eam Suanto abnuit, respondens se filiamque cum omnibus quæ possideret, in Regis velut domini sui clementissimi fore arbitrio.

Hinc igitur Princeps magnopere vegetatus, socio Suantone foras progreditur. Verum quod hic pileum intus reliquisset, castrum & carcerem infaustissimus denuò ingreditur. Regi Erico autem descendenti civitatem versus, obviat M. Petrus, Calmarnensium Superintendens, quo cum ille paulisper sermocinatus, & ab eo forsitan instigatus, revertitur quantocius in castrum; ibique mox indignabundus carcerem invadens Nicolai Sture, in lecto jacentem, & sibi reverenter assurgentem, proprio sauciavit pugione. Quem Nicolaus ex gravi pectoris vulnera protinus extractum, & osculo humiliter tactum, percussori obtulit, indeque furens Princeps nonnihil mitigatus abiit. Sed remanens quidam Petrus Vilhelmi, cubicularius Regis monculus, his saucium verbis, & verberibus porrò aggreditur: Tu perduellum sceleratissime, mihi sæpius oculorum exprobrahti defectum, te modo etiam exoculabo; Arreptaque bipenni, caput per unum oculorum transfixit. Corruentem vero semianimum reliqua satellitum colluvies, non paucis insuper vulneribus inflictis, penitus exanimavit.

Interim Rex Ericus, velut desperatus, & mente alienatus discurrevit, ad quem reversa cohors sicariorum præfata, ipsum versus sylvas festinantem comitatur. Accurrens etiam simul Dionysius Beureus, quod fortassis Regem asperius ob cædem Nicolai compellaret, illius mandato per satellites quoque trucidatur. Cæterum tyrannus, velut Nero, præceptoris cæde magis efferatus, & Divina, humanaque jura despiciatus, missò in arcem nuncio, reliquos pariter captivos jubet matari, præter Stenonem, non exprimens, an Ericum vel Banerium, licet illum intelligeret, istaque mandati ambiguitas utrumque conservavit.

De hujusmodi autem Regis mandato, Georgius Petrius Iusui chartarum deditus, à magistro rerum criminalium Petro Gaddio informatus, & super illo interrogatus perficiendo, respondit: Nihil hac de re scio, nec scire volo, temetipsum consule.

Hinc

Hinc igitur Gaddius animo perturbatus, mandati executionem prorogat in craftinum, quando aliud naetus responsum, percussoribus in carceres immisit, Suantonem, Ericum, Abrahamum & Ivarum, tam crudeliter punctum cæsimque curat perimendos, ut horum quilibet non minus quam XX. fermè vulnera acceperit lethalia. Solus porro Ivarus spiculatoribus se opposuit, qui ligno, quod fortuna obtulit, arrepto, illorum duos fertur occidisse, & demum à reliquis superatus, vulneratusque, non inultus corruit.

Atqui cædes ipsius, cæterorumque Procerum, sub altissimo fuit silentio aliquandiu occultata, & corpora in quoddam noctu translata cellarium, ibi per dies XIV. inhumata cruentataque delituerunt, & computruerunt. Quo temporis intervallo, cæforum uxores & contribules illos adhuc vivos opinati, consueta in carceres vestimenta, esculenta & poculenta quotidie transmiserunt, quæ excubitores cædis consci, velut Bali quondam sacerdotes libamenta, liberaliter genialiterque consumpserunt. Per idem verò tempus Upsaliam primo accesserant illi magnates qui fuerant eò citati, & simul morti forsitan destinati, quam tardius paululum advenientes, evaserunt.

Nec Georgius Petri haetenus fuerat otius, qui antequam flagitii fama inter Ordines emanaret, sententiam mortis in cæsos impetraturus Proceres, hacque scelus postea defensurus, illam nomine Statuum concinnat, quam postridie cædis, videlicet XXVI. Maji, cogit Ordines sacris in Ecclesia operam dantes, non perlectam subsignare.

Sed ipsemet interea Rex Ericus, conscientiâ patrati sceleris nimium cruciatus, & furii agitatus, deserto satellitio, solus per devia sylvorum velut alter Nabochodonesar, quadriduo vagatur, & isto temporis spatio, regium alicubi corporis ornatum rusticano permutavit, in quo denique habitationem parochi Odensalensis, IV. ab Upsalia milliaribus distam, XXVII. Maji accedens, nihilominus proditur. Quamobrem indè fama quantociùs ad servitores regios, dominum sollicitè indagantes, & fautores divulgata, plurimos ipsorum eò protinus acciverat; quos inter præstò fuerat non segnis Catharina, quæ blandimentis variis, Regem ad cibum, somnumque, quod his potissimum indigeret, capiendos, non citra tamen difficultatem, permovit. Priùs autem summopere delirabat, & inter alia clamabat: Nicolaus Sture Sueonum Gubernator censendus, non ego, quod sicut Nero meum occiderim præceptorem.

Ast præfatam corporis adeptus refectionem, cœpit denuò aliquantulum sapere, videntesque Ordinum plerosque Upsaliâ turmatim ad se confluere, ac subverens ipsorum rebellionem, quando illis cædes innotesceret Upsalensis, propterea indè postulato, ad portatoque thesauri scrinio, auri plurimum inter primarios utriusque status dispertivit. Quibus non paucos largitionibus sibi arctius multo devincivit, adeò ut fratrem duntaxat principem Johannem sceleris formidaret vindicem. Ideoque se metu pariter isto liberaturus, suo Georgio mandasse perhibetur, ut fidelioribus ex palatina cohorte secum acceptis, Griphisholmiam properaret, & Ducem Johannem similiter obtruncaret, attamen impium deinceps mandatum revocasse.

Cæterum hinc Ordinibüs domum sensim dilabentibus, Rex Ericus porro animum oblectaturus, Maijo exeunte Suartesiogum secessit, indeque III. Junii Stockholmiam discessit. Hanc verò sublatis in cœlum oculis

manibusque, singularem præferens homicidii quod modo emanaverat contritionem & devotionem, ingrediebatur.

Ibi omnem in primis adhibuit diligentiam, ut occisis propinquiores sanguine placaret, & sequens quatriduum huic soli tribuit negotio. Illorum uxoribus, agnatis, cognatisque, non modicum auri & argenti propterea largiens, ac simùl promittens, quòd tantum ipsis exhibitus deinceps favoris, quantum hujusmodi scelere mœroris iisdem attulisset. Venerabili præterea sacramento Eucharistiæ aliquoties suscepito, se patrati admodum pœnitere criminis asseveravit, sincero nè animo, vel minus vero, Divinæ commissum volo sententiæ.

Præcipuam tamen piaculi caussam, Georgio, & Christierno Petrio imputavit, quòd potissimum ab his foret ad illud instigatus, & quodammodo infatuatus. Binis concedens propriis ideo litteris, ut quandoquidem Christiernus jàm obiisset, Georgius his aliisque solus in judicio criminibus responderet, & hujusmodi scelerum convictus, pœnas hueret promeritas. Itaque comprehensus, XLVIII. nobiliorum & prudentiorum in regno virorum sistitur confessui examinandus judicandusque, & non modo cædis reus Upsalensis, aliorumque perplurium flagitiorum, sed etiam quòd plus quam CXX. personas, Rege inconsulto, partim decollari, partim strangulare, & partim in aquis clām nocturno tempore suffocari curaverit innocuos, convincitur. Istaque propter scelera nimis enormia, morti, velut manifestus fur, latro, & perduellis, tribus fuit vicibus palam adjudicatus, atque carceri mancipatus.

Hujusmodi propterea Georgii occasu, concubina Regis animata, coram eodem accusat tribunali uxorem Georgii, eaque non-difficulter convicta, quòd falso divulgasset Regem à Catharina quodam maleficio tantoper illius amantem, & amentem esse redditum, mortem similiter subitura judicatur, nisi gratiâ infamatæ illam posset evadere.

Ità Magnatum contribules interfectorum nonnihil placati, ad illorum pergunt exequias Upsaliæ. Ibi tamen denuò in regem Ericum graviter exasperati, quòd cùm funera tumulo in Ecclesia mandarentur Cathedraли, voce præconis defunctos magis infamari, quam celebrari, procurasset. Novam verò premunt silentio indignationem, & hujus differunt in tempus commodum vindicationem. Sed hæredes Dionysii cum illis non conspirarunt, forte quos XII. Julii die XV. aurì libris donatos, sibi Rex Ericus reconciliasset. Nihilominus nec his, nec ipsis omnino confidens, quòd non ignoraret cavendum magis inimicum nuper reconciliatum, quam hostem palam armatum, ut subdole illorum animos exploraret, manum regni gubernaculo Consiliariis commisso subtrahit aliquandiu.

Et quamvis Dano hujusmodi Sueciæ status miserabilis probè foret cognitus, tamen eam per hujus æstatis curriculum, nec mari, nec terra infestavit, interea expectans, ut interno prius flagraret incendio, quam externo impeteretur gladio, & arma nihilominus fabricans, initio hyemis oportunius Sueonibus inferenda.

Quam subverens hostis molitionem Rex Ericus, ut domestico penitus pacato tumultu, securius occurseret adventanti, ex consilio fratri Caroli, Catharinæ novercæ, & concubinæ, aliorumque Ducis Johannis liberationi faventium, quos inter fuit Steno Ericius, cum aliis in regno po-

potentioribus & nobilioribus, captivi Principis cognatis, ast regis Erici ob cœdem Upsalensem occultis osoribus, consensit, ut ille certis quibusdam conditionibus pristinæ restitueretur libertati, potestatique. Cum ipsis proinde Carolus Sudermanniaæ & Magnus Saxoniæ Duces XXIX. Julii Griphisholmiam profecti, eas Duci Johanni proposuerunt, nec cum dubia transactionis spe postea indè Stocholmiam redierunt; adeò ut Dux actutum fuisset liberatus, nisi eventus quidam infelix obstaculum posuisset, illeque pacto accidit hujusmodi.

Moschus annis prioribus à Sueco sæpiùs ad pangendum singulare fœdus in Polonum velut hostem utriusque communem provocatus, inter alias fœderis pro sua immani barbarie conditiones, etiam hanc non erubuit regi Erico præfigere, ut Catharinam ducis Johannis legitimam uxorem, ex amplexibus mariti violenter abstractam, sibi transmitteret. Atqui cum Suecus se hac in parte neutiquam commode gratificari posse Moscho animadverteret, nisi fratre priùs enecato, & utrumque abhorret scelus, distulit aliquandiu hujus consensum. Existimo autem post Upsalensem lanienam, regem Ericum in sua illo tempore vesania, utriusque consensisse flagitio primum, & transmissis clanculum litteris in Moschoviam, Tyranno Catharinam promisisse.

Is propterea hujusmodi nuncio plurimum exhilaratus, Legatum cum CCC. stipatoribus, pro adducenda in Russiam Catharina, magnificientissimè Sueciam versus expedivit. Qui simul in mandatis habens, ut peculiarem inviolabilemque cum rege Erico, Principis sui nomine, firmaret amicitiam, principio autumni Stocholmiam pervenit. Ideoque Rex hujus oratione, totus à pacticis cum fratre inchoatis alienatus, nefarium resumpsit aliquantis per propositum, donec intelligeret hostes regni limitibus imminere. Tunc enim animo mutato, vel potius simulato, fratrem vinculis absolvit. Qui ad prædium in primis regium perduetus fuit Venteholmum XXII. Octobris, ubi tempori prudenter inferiens nimis maligno, humiliiter significat regi Erico se paratum, postquam libertati facultatibusque esset amissis restitutus, hujusmodi subscribere obligationibus, & aliis concordiae tolerabilibus tamen conditionibus: Nimirum, quod fidus illius Majestati quam diu viveret futurus; Nullas unquam insidias vitæ Regis, vel dignitati, molitus; Masculos ipsius liberos ex Catharina genitos, pro legitimis throni haeredibus observaturus; Quaslibet condonaturus offensas & injurias sibi uxoriique tempore captivitatis à quocunque tandem irrogatas, dummodo persecutores se imposterum emendant, & damnis verbo aut opere illatis satisfacerent.

Horum tamen numero exclusis, Georgio Petrio, Henrico Claudio, & Hermanno Flemming, quod injuriæ ab iis inflictæ graviores merito censerentur, quam ut dignæ forent condonatione. Prætereà defert suam Dux Johannes operam regi Erico in amicandis ità Polonis ipsi, ut pax omnino coiret utrinque, Danis & Lubecensibus exclusis; vel si cum istis simul transigendum, ut iis controversia legibus componeretur, quibus patria, citra jurisdictionis amissionem in Hallandiam & Sconiam, Gotlandiam, Blechingiam, Elsburgum ac Solsburgum recuperaret, & nihilominus ipsam retineret captas in Dania Norvegiaque munitiones atque regiones. Postremò spondet Princeps, quod in sui gratiam Polonus affinis cum Moscho pacem haud foret

foret initurus, nisi Rege Sueonum in ea simul sub optimis conditionibus comprehenso. Istaque pollicetur omnia se juramentis, litteris & sigillis paratum roborare, ac perfectè, fideliter, & Christianè, deinceps observare.

His autem regi Erico ibi etiam præsenti oblatis & ponderatis conditionibus, efferus illius animus magis paululum fratri mitigatur. Qui proinde Regis in conspectum adductus, coram easdem repetit, & illo in genua procidente veniamque poscente, insidias metuens fraternalis simul in terram procumbit. Sed uterque à Proceribus levatus astantibus, assurgit, moxque Rex Ericus ad Catharinam Ducis uxorem, & filium ipsius parvulum principem conversus Sigismundum, supplex culpam pari gesticulatione suam deprecatur. Nec tamen ibi planè Duci Johanni reconciliatus, Suartesiogum indè concessit, ubi à Ducis fautoribus iterum sollicitatus, ipsum eò accersit, & appellenti, ex liburnaque in terram descendantì, occurrit, ac in genua provolutus, fratrem regio titulo salutatum, sibi dexterum collocat. Ast Dux Johannes utrumque prudenter honorem aversatus, simul geniculatur, & gratiam regiam precatur, monitique ambo à noverca, nè diutiùs gesticulando, se hominum multitudini spectantium deridendos propinarent, consurgunt, & Rex Ericus fratribus utrinque stipatus, in palatium ascendit. Illic porrò quarumlibet offendionum amnestiâ conclusâ, his, præter memoratas in gratiam Dux Johannes cum rege Erico rediit conditionibus:

Præstito Dux Johannes in regia coronatione juramento staret. Constitutiones non violaret Arbogenses. Protectione regiâ, cum uxore, liberis & servitoribus, gauderet. Injuriam irrogantibus, vel facta hactenus exprobrantibus, juxta legum rigorem Sueticarum, mulctatis. Sed quorum operâ in hunc usus diem Rex Ericus contra ipsum, iis offensas condonaret omnibus, etiam Georgio Petrio, nisi proditionis in Regem posset ipsum convincere. Non tantummodo contra imminentes patriæ hostes ex Dania, cum regni exercitu in persona propria non tergiversaretur procedere, sed eandem fideliter operam Regi præstare quotiescumque, & contra quoscumque, Danum, Moschum vel Polonum necessitas postularet, haud gravaretur. (Nec aliam dubio procul ob causam, ista fratrem conditione voluit Rex Ericus tantoperè obligatum, nisi quòd consideret, illum bellis occubiturum.) Incolumis verò ex instantे modò reversus militia, Finlandiæ ducatum pristino jure obtinet; quo etiam uxor Catharina, si contingere maritum in pugna occubere, filiusque horum princeps Sigismundus, deinceps fruerentur. Quibus igitur in absentia D. Johannis de honesta aliunde provideretur sustentatione. Cum denegatâ Moscho Catharinâ, bellum ab ipso Suecis forsitan inferendum, à quo voti compote facto, plurimum esset subsidii illis expectandum. In hujus propterea gratiæ compensationem, procuraret Dux Johannes, ut Polonus affinis, Christopherum ducem, pactis tolerabilibus liberum dimitteret. Quantum in Livonia armis Sueticis occupatum, regi Erico sibi reconciliato promitteret. Subsidium in Moschos ferret; nec cum illis transigeret, nisi Sueonum Rege sub pacis legibus sufficienter comprehenso. Sin autem sororio in his abnueret Rex Sigismundus gratificari, Dux Johannes abruptâ penitus cum ipso amicitiâ, nullas ad illum litteras exararet, nec belli nervo pecuniâ imposterum ullatenus juvaret.

Itaque his in Suartesiogo consummatis obsignatisque articulis,  
Dux

Dux Johannes pristinam recuperavit libertatem , postquam annis IV & binis mensibus cum uxore in vinculis fuisse Gripsholmiæ detenus. Moxque Polonum litteris & nunciis amanter compellavit , suam illi liberationem manifestans , & hortans ad suffragandum petitioni vicissim Suetici Regis , ac stabilem utrinque amicitiam quanto- cius contrahendum. Isto etiam tempore , Georgius Petrius ex carcere liberatus , pristinam cœpit affectare dignitatem , & occulto Regis favore animatus , adversariis passim insultare.

Verū haētenūs arma hostis molitus , sub finem Octobris australē ea in Gothiam protulit , ibique citra impedimentum grassatus , Jenecopiam versus Daniele Ranzovio ductore progreditur. Ideoque subverentes Sueci , nè hybernā illic stationem deligeret , urbem , & ar- cem , quòd hæc minus esset munita quam ut tantæ possent Danorum obluctari potentiae , inflammariunt. Ast intelligentes posteā hostem porrò iter continuaturum , & Ostrogothiam invasurum , quædam ex Vestrogothia cohortes Danos ex insidiis adoriri decreverunt. Nec illi harum ignari , per nemus Holvegianum X. Novembbris die in Ostrogothiam , nostratis transitum obsidentibus profligatis , penetrarunt. Ibi primum ad civitatem diverterunt Vastenensem , ut castro illic ve- lut unico regionis propugnaculo , potiti , totam minus difficulter provinciam subjugarent. Sed à præsidio indē fugati , flamas urbi , non cœnobio , XV. Novemb. subdiderunt , & Scheningiam se contulerunt.

Quocirca Lincopenes hostium adventu perculti , suam ipsimet civitatem exusserunt , XX. Novembbris. Quod ipsum IV. Decembris Sudercopenes fecerunt , nè advenientes Dani commoda ibi nan- ciscerentur hyberna. Tantos verò hostis successus habuit , quòd Rex Ericus omnem fermè militem ex Gothia in Sueciam vocasset , & nec ipsem exercitum contra Danos producere , nec illud fratribus mu- nus , suspicione adhuc plenus , committere auderet. Atqui magis Comiti Petro & Hogenschildio Bielchio fidens , ipsos Suetico præfe- cit exercitui satis copioso moderatores.

Qui proinde adversus hostem profecti in Ostrogothiam , positis in Norby Regis latifundio castris , primam dant operam ut Danis prohiberent in Sueciam progressum , ac propterea in Colmorensi silva , sicut etiam trans fluvium Motalensem , constitutis utrobique munitionibus , omnem hostibus transitum præcludunt. Deinde regres- sum similiter ipsis in Daniam prohibituri , & posteā hostes undique constrictos aggressuri , penitusque occisi , Holvegianum & Ti- vegianum parti exercitus committunt nemora fortissimè obsidenda ; verum ipsimet cum Danis configendi captant interea oportunitatem.

Anno MDLXVIII ineunte , vel priori exeunte. Dani à con- currentibus undique Suecis turmatim , & quaslibet obsidentibus vias , se constrictos ac propemodum devictos , ità ut neque progrexi , nec sibi liceret regredi , animadvertisentes , quendam Michaëlem Gœding per invios nemorum anfractus Daniam versus expediunt , ut eo quorundam ductu agricolarum Sueticorum progressus , regi Friderico periculosem Danici exercitus in hostico statum manifestaret , & auxiliares ab ipso cohortes imploraret. Quas ille non difficulter ibi propterea nactus , cum iis Gothiam versus actutum remeat , ut hostes in silvis transitum obsidentes à tergo adortus , illis indē profligatis , securum il-

lāc suis exitum compararet. Sed voto haud respondit eventus ; Etenim vix limitem Daniæ fuerat egressus, antequam sub Vernemo à Smalandis tantam suorum cladem sustineret inflictam , ut cum paucis admodum in patriam indè reversus commilitonibus , istud magnoperè deploraret infortunium , & socias in Ostrogothia cohortes ad internecionem universas omnino deleras promulgaret.

Hujusmodi autem Polemarchæ Sueonum nec dum quidem illatum hostibus machinantes detrimentum, uni Germanicorum ex Dania militum captivato , & non paucis muneribus donato , persuaserunt, ut ad suos in castra hostium sub nomine profugi remissus populares , hos tacitâ induceret molitione ad favendum occulte partibus Sueonum , Danisque velut propediem extirpandis salubriter desertis , huc fugâ tempestivâ secedendum, liberalissima certissimaque in singulos menses salarya habitueros.

Nec intereà Dani machinationibus indormientes , ex uno etiam captivorum intelligunt , Carolum Sudermannia principem ad castra venisse Norbygensia de belli consultatum ibi paulisper negotiis , & pauciorem illic esse militem quam ut Ducis sufficeret defensioni, eò decernunt expeditionem. Hanc porrò subveritus Princeps , consultatione quantociùs peractâ, indè secessit in Uplandiam tempestivè.

Quando Sueticus in castris hostium adolescens horum subaudiens molitionem , expeditionemque , pridiè Norbygium clām profugit. A quo Polemarchæ de adventu informati Danorum , relationi fidem adhibere noluerunt, vel certè fluvio quo circumdabantur , confisi , excursionem & incursionem illorum minus timuerunt. Verū hostis vadosum in eo transitum operâ quorundam accolarum nactus , XV Januarii die horis antelucanis in Suecos nimium securos irrupit , & ductoribus fugâ difficulter elapsis , reliquum cecidit præsidium. Deindè viator prædæ indulgens , plurimum auri & argenti nuper illuc ab rege Erico salarya militibus numeraturo transmissi , cumulat , unaque VII. insignes belli machinas ; litteras , & acta quælibet castrensiæ ; sicut etiam CL ex suis captivos , acquirit , & cum triumpho Scheningiam remeat.

Ibi verò militari Sueonum archivio studiose admodum perlustrato , consilia nostratrum omnia Dani intelligunt , & quantis essent periculis ubique locorum expositi , quantamque Michael Gœding cum suis foret turmis stagem non ita pridem passus , liquidò primum cognoscunt , simul rescientes præfatam Germanici militis cum Suecis conurationem. Itaque subitus in Daniam reditus ab universis conclamat , & approbatur , captusque ille proditor , XXII. Januarii morte horrendā mulctatur. Quando autem totus fermè Danorum exercitus ad tristissimum hujusmodi spectaculum in suburbana exhibutum planicie , fuerat effusus ; famulus natione Suecus , supremi vexilliferi consultò remanens domi , cum vexillo hostium prætorio in castra Suecorum profugit Motalensia , quod protinus regi Erico transmissum , à stabulariis ipsius per contumeliam discepitur.

Sed archivexillifer Danorum à loco supplicii post temporis paululum regressus in urbem , labari deprehendit amissionem , & Daniel Ranzovius ac Franciscus Brochenhusius duces exercitus sceleris authorem investigaturi , congregatos in cœmiterio captivos ex Sueonibus frustra perlustrant. Nam à profago illud Signiferi fa-

mulo tandem cognoscunt sublatum, hostibusque præsentatum, & propterea reliquis etiam captivis gravissime succentes, non paucos illorum in memorato trucidarunt polyandrio, postmodumque vasa clammarunt.

Die autem XXIV Januarii Daniam versus inde festinarunt, & postridie Polonus, hujus in Sueonia tumultus minimè ignarus, ad litteras respondit Principis Johannis sororii, gratulans in primis Duci cum uxore liberato ex vinculis. Deinde fœdus in Danum cum Sueco pangere abnuit, quod illi esset confederatus, & quamvis propter inhumanissimas Rex Ericus suas cum Moscho machinationes, nullo esset dignus ex Polonia patrocinio; in gratiam tamen principis Johannis tantoper illud flagitantis, promittit se gnaviter elaboraturum, ut Danus cum adversario in pristinam rediret, sublatis belli tumultibus, amicitiam, spondens insuper ducis Christophori liberationem, & litteras publicæ fidei pro legatis regis Erici mittendis in Poloniam simul huc allegans. Verum Rex Ericus cognito Danorum abitu, hos cum principe Johanne & Carolo fratribus, ac Magno Saxonum principe amitino, exercituque universo festinus insequitur, eo quidem consilio, ut dum præfidiarii nemora obsidentes adventanti negarent hosti viriliter à fronte transitum, ipsem eundem à tergo invaderet. Neque Dani hanc Sueonum ignorabant molitionem, & proinde redditum maturabant, licetque declinantis hostium insidiis plurimum invigilarent, tamen per orientalem Holvegii silvam iter continuantes, propè civitatem Echesicensem in castra incident Suetica, quæ prius pertransire haud poterant, quam tria hominum millia & quingentos, septingentosque cum præda non ignobili currus amisissent. Nec ullus hostium ibi evasisset incolumis, si rex Ericus cum suis cohortibus paulò citius illuc advenisset.

Cæterum Hogenschildus Bielche Norbyensem porrò vindicatus ignominiam, cædemque, auctum sumpto viarum compendio, cum aliquot turmis equitum peditumque Danos clanculum prætergreditur, & adventantibus infeliciter admodum sub villa Flishultensi congregatur. Hostis siquidem opinione citius illuc veniens, Suecos armis minus intentos opprescit, & captis simul ipsorum ductoribus Hogenschildio atque Stenone Banero, ultrà processit. Quocirca ex præcedenti historiæ contextu, manifeste convincuntur quidam scriptores imposturæ, calumniæque, quod asserere non erubescerent, illustrem comitem Petrum, & Hogenschildum Bielchium, cum Danis modo in patriæ perniciem collusisse, abitumque ex Suecia minus cruentum, illis connivendo, induluisse. Quæro enim ab istis impostoribus & calumniatoribus, quomodo hæc illorum cohæreat narratio! Agminum duces Suetorum, præcluso hostibus progressu & regressu, ipsos intermissione gnaviter destinarunt; præcipias illorum cohortes ad defectionem sollicitarunt; ab iisdem vicissim infestati, cum summo vitæ periculo hostiles manus evaserunt; illos postmodum manubiis exutos gravissimâ clade affecerunt; adeoque se hostibus opposuerunt, ut eorum unus, dum porrò Danos persequeretur, ab iis in turpem denique captivitatem abduceretur; & nihilominus tamen partibus adversariorum faverunt? Quæ omnia cum è diametro sibi repugnant, & calumniatorum acriter oppugnat assertionem, expugnantque, faceant illi sycophantæ cum suis malesanis conjecturis ac imposturis, ad intermissamque redeat calamitus veram historiæ narrationem.

Dani post victoriam sub Flishultio partam , novas propè regnum limitem sibi paratas ab hostibus insidias cognoscunt , nec ipsas evasissent , nisi lacus Somen prioribus aliquot diebus frigidioribus tenui constratus glacie , securum magis transitum , quam nemus armatum , illis præbuisset. Nec tamen omnino indemne fuit Danis istud diverticulum ; Siquidem glacie nimium fragili passim subsidente , nobiliora duo ex tormentis in conflictu capta Norbygensi , in eodem submersa lacu amiserint. Ità præsentissimis frequentissimisque defuncti periculis , demum Hallandiam & Scaniam Daniæ provincias hilares attigerunt ; Ibique fesso in hybernis relicto milite , Franciscus Brochenhusius cum agmine captivorum processit Hafniam. Cujus eò reditus , commilitonumque in patriam , non minus erat regi Friderico gratus , quam si ex tumulis suscitati advenissent , quod prius universum crederet exercitum in hostico prorsus occubuisse , ipsumque propterea modo velut ab inferis reducem , animo suscepit lætissimo. Interim captivi foris sub Hafnia præstolabantur , quorum fuerant primarii , Hogenschildus & Steno Baner , aliique XVII. genere nobiles , quos Ludovicus Munch posteà emissus , nomine Regis prolixa fuit allocutus oratione , datoque ipsi per Hogenschildum responsu non minus facundo , in urbem cum triumpho deducuntur , & hinc deinceps ad diversas Daniæ arces transmittuntur.

Quo temporis intervallo Suecus cum suo progressus exercitu , ad regnum usque limites , aliquot equitum turmas & peditum cohortes ex hybernis hostes profligatum ablegat. Sed equitatus non exspectato lentius procedente peditatu , equestres Danorum copias temere sub Engelholmio aggressus , ipsem profligatur , & hujs ductor minus circumspetè agens , Andreas Sigfridius , per tibiam vulneratur. Postea verò equitatus peditatui conjunctus , dispersos per Hallandiam Sconiamque hostes fortunatius impugnat , & cum non modicis deinceps opibus à Dani milite nuper salario nacto passim congetis , ad regem Ericum remeat.

Verum in absentia horum agminum , ad regia venit castra Georgius Petrius Februario mense , qui die quodam à Rege interrogatus , num pristino vellet fungi officio , ut commodius vindictam de persecutoribus valeret sumere ? non illibenter annuit. Jussus autem prius coram aliis suam probare innocentiam judicibus , & latam confutare sententiam , minus promptè assensit. Citra tamen hujsmodi processum juris , consuetæ non multo post tempore authoritati restitutus , regem Ericum denuò suis consiliis infatuavit , in fratresque & proceres instigavit. Quam novam discordiæ fementem ab homine illo nefario spargi , M. Martinus Helsingius Regis Secretarius & cubiculi consiliarius indigno admodum ferens animo , illam cum vitate suæ dispendio frustra conculcare satagebat. Enimverò cum quodam in iisdem castris vice Martinus & Georgius in tentorio soli apud Regem essent præsentes , ingensque foris belli machina cum horribili exploderetur tonitruo , in hujsmodi rex Ericus verba indignationis plena mox prorupit : *Utinam globus perfidissimum illum penetrasset Enobarbum* ; fratrem intelligens principem Johannem. Et propterea Martinus non ignorans Regem à Georgio huc inflammatum , protinus respondit : Absit Serenissime Rex istud à fratre Majestatis Vestræ integrissimo infortunium , & potius contingat Georgio , velut novæ dissen-

sensionis aliorumque perplurimum consulti malorum sceleratissimo. Quo efferatus responso rex Ericus, furcam per ingvina fidelissimi servitoris, & svasoris, transadegit focariam, indeque Stocholmiam Martinus perlatus, ex illo vulnere animam VII. Aprilis efflavit. Cujus tamen mortem Rex ægerrimo tulit animo. Georgii nihilominus operâ magis indies cum proprio utens interitu, & aliorum saluberrima contemnens, prô dolor, consilia.

Nam ex Smalandia Stocholmiam reversus, cum in transacta hætenuis militia copias regni militares non minus quam anteâ sibi morigeras fidasque animadvertisset, nec amplius suspectam haberet illarum fidelitatem, Principes & proceres regni cœpit minus formidare. Inprimis ergo persuasus à Georgio, quod ignominia huic irrogata, illius pariter majestati foret dedecori, latam in illum revocat sententiam; hac ipsosmet judices, non Georgium, dignos pronunciat; eum palam voce præconis virum esse honestum denunciat, & magnates Upsaliæ cæsos, promeritas ex justitiæ præscripto luisse penas alleverat, omnem in ipsos derivans culpam. Ideoque protinus transactionem cum illorum priùs institutam hæredibus, rescindit, & munera his aliisque eam ob caussam donata, repetit, ac multifariis & nefariis vivos mortuosque simul impetens ex consilio Georgii calumniis, pristinum incurrit odium.

Deinde fratribus etiam intolerabilis evadit, quod ipsis, alios in Livonia ducatus, pro Finlandia & Sudermannia obtrudere conaretur; velut quoque reliquas pacificationis cum Duce Johanne nuper initæ leges, transgrederetur. Intentio autem fuerat regis Erici, totum Sueciæ, Gothiæ & Finlandiæ sibi dominium soli usurpare, ac fratribus aliquas Livoniæ provincias assignare, quod illorum in regno secum suspectam haberet cohabitationem, & minus diuturnam sibi fore hujusmodi regionum in Estonia possessionem probè considerans, principibus Johanni Caroloque illas contra Moschum, Polonum & Danum tradere armis defendendas, consultius rebus suis duceret.

Nec regia Duces latuit machinatio, quam propterea callido non minus consilio eluserunt, & illâ rex Ericus se frustratum animadvertisens, aliam Ducibus magis periculosam, ast sibimet ignominiosam, aggreditur. Etenim fertur utrumque cum non paucis adhuc regni proceribus, morti destinasse, ut sublatis hujusmodi adversariis, securior cum suis liberis imperaret, & promissam Moscho Catharinam Principis Johannis conjugem, eò cum legatis ipsam adhuc Stocholmiae præstolantibus, ablegaret, indissolubili propterea Tyrannum sibi favore devincturus. Illud porrò scelus non posse oportunius perpetrari existimans, quam in suis cum pellice Catharina nuptiis, harum maturat celebrationem. Inprimis autem isti minus honorabili conjugio, ab invitis extorqueret fratribus ordinibusque consensum. Quando germana Ducum soror Elizabetha, impiam Regis subolfaciens molitionem, ipsi forsitan à Catharina proditam, sceleratum sponsi animum in his aliisque flagitiis identidem execrante, Duces occultis admonuit litteris, ne hujusmodi ferale accederent convivium. Illi proinde novâ & reliquis horribiliore lacefitti injuriâ, secreto cum suis atque cæsorum contribulibus procerum habito consilio, ac præsertim cum Stenone Ericio avunculo, & Thurone Petrio à Salestad comitis Suantonis genero, regem Ericum propterea throno exturbare decreverunt.

Sed antequam interno canerent bello hujusmodi classicum, externo cum Danis inducias esse procurandas consultum arbitrati, protinus Thurone ad illos ablegato, semestres minus tolerabilibus conditionibus, intercessione ut reor Poloni, obtinuerunt. Hoc itaque posito rebellionis fundamento, militem, & belli nervum gerendi sedulo inquisiverunt, ac primum CCC. ex suis fautoribus servitoribusque contractis, Germanicas Regis cohortes ipsi suboffensas, quod illis infastum sub Suarteragia falso imputaret conflictum, & salaria minus fideliter numeraret, ad tacitam permoverunt defectionem. Sicut etiam in Gothia passim, in qua secreto rebellionis negotio potissimum insudarunt, rege Erico apud incolas plerosque in acerrimum præfatis de caassis odium clam vocato, plurimos sectatores pugnatoresque acquisiverunt. Deinde porro nervum bellicum comparaturi, propriis Principes Johannes & Carolus, Stenoque & Thuro, in unum collatis cimmeliis, quidquid possideret Dux Magnus impos mentis auri vel argenti, huic simul militiae destinarunt, & reliquum ab hæredibus trucidatorum Upsaliæ magnatum non difficulter impetrarunt, à nobilibusque in Gothia viris & parochis opulentioribus mutuarunt.

Hujus autem in Gothia conjurationis Polonus dubio procul non inscius, ut Revalienes hac subjugaret occasione, initio æstatis XII. navium classem Dantisci comparatam, illos impugnatum transmisit. De quo Revaliensium periculo Suecus certior factus, naves XVIII. longè instructiores illuc quantocius direxit, harumque cognoscens hostilis adventum, anchoris sublatis, Gedanum versus perrexit; quam Suetica insequens, aliquot ipsius capit navigia, & sub Revaliam victrix contendit.

Interim XXXI. Maji, vel ut alii scribunt, XVII, filiam genuit Catharina Jagellonia Duci Johanni marito in Eschilstuna Sudermaniæ Annam, & parens hujus serenissimus, fortunam in omnibus sibi benigniorem solito magnoperè latatus est, animatusque; Tamen quod animadverteret fratrem Carolum fortunatorem, & militi populoque ob miram eloquentiam, & humanitatis affabilitatisque excellentiam, paulo existere gratiorem, pacto sub queru fædere, spondet, quod si operâ fratrī adjutus dominium Sueciæ obtineret, ipsum se regiminis confortem certò adhibitum, & pari cum illo potestate, regiis insignibus neglectis, regni axioma omnino gubernaturum. Ideoque cum Dux Johannes deinceps promissis non staret, primam discordiæ præbuit occasionem, velut alias memorandum est. In præfati verò signum fœderis Duces, horumque servitores, querinas aliquandiu frondes semper in pileis gestarunt, æstivali quidem tempore nativas, ast hyemali ex serico elaboratas. Cæterum Rex Ericus horum ignarus omnium, ut neque gnarus suam fratribus detectam esse molitionem, ipsos honorificis invitat litteris, aliosque regni ordines primarios, ad solennia nuptiarum Stockholmiae IV. Julii die celebranda.

Verū sub specioso Duces prætextu se absentarunt, & nihilominus tempore præstituto adveniente, suas Rex cum Catharina, & Magni ducis amitini cum sorore Sophia nuptias solenniter peragit. In his autem Catharina superiorem nacta locum sessionis, Sophiam & Elizabetham glores, & præsertim hanc, quod ipsius olim fuisse pedissequa,

commovit ad indignationem, aliosque convivarum plurimos. Nec hujusmodi Rex Ericus bilem magnoperè curans, ut sponsæ & cognatis ipsius plus adhuc exhiberet honoris, binos Catharinae avunculos officio agricolas, Equestribus decoravit insignibus; simulque viros nobiles, Achatium Benedicti, & Johannem Kyle.

Quando in his cœpit nuptiis rumor pertenuis increbescere de Principum conspiratione, qui XII. Julii Vastensem, & triduo post Stechenburgensem; sed XXIX. mensis ejusdem Lechensem Vestrogothiæ, occuparunt arces à fautoribus ultrò deditas. Quarum præfidiarii mox Ducibus juramentum fidelitatis præstiterunt, & Principes in Vastenensi fratris Magni thesaurum adepti, argenteam ibi monetam fœderis symbolo, nempe capitalibus Ducalium nominum litteris restè colligatis ex parte una, & altera familiæ insignibus ornatam percusserunt. Neque Regis potentiam modò formidantes, litteris ipsum hortantur ad executionem pacti Suartesiogensis; æquiore regni gubernationem; vitæ emendationem, & omnimodam Georgii Petri repudiationem.

Ac minus quidem conveniens adepti responsum, palam Regi Erico bellum denunciant, & sequentes suæ rebellionis caussas toto regno promulgant. Quarum prima, quòd neque Deo neque hominibus paœta conservaverit. Quòd Duce Johannem fratrem nullius convictum legitimè criminis, in annum V. cum uxore liberisque carcere inclusum tenuerit. Horrendam Upsaliæ in regni proceres omnino innocentes cædem perpetraverit. Alios quoque patriæ optimates, cum propriis fratribus, in nupera decreverit nuptiarum festivitate crudeliter mactare. Quòd cum maxima suæ prosapiæ ignominia concubinam vilissimis ortam parentibus, in Sueciæ reginam promoverit. Illustrissimam ducis Johannis conjugem, immanissimo Moschoviae principi destinaverit. Et demum quòd Georgium Petrium hujusmodi malorum omnium consultorem, ac ideo morti adjudicatum, contra proprias litteras consuetæ restituerit authoritati; aliaque multa perpetraverit, quæ regiæ non competenter majestati.

Dùm porro scriptis in Suecia velitatum est, in Livonia fuit armis pugnatum. Siquidem Claudius Kurselius Sueonum ibi polemarcha, Regis nactus mandatum, turbas contemnentis domesticas, cum præfatis copiis maritimis, & non paucis terrestribus, Sonnenborgum Oefeliæ, quod rex Ericus principi Johanni pro ducatu statuisset assignare, impugnavit, & illud exeunte Julio expugnavit. Istâque elatus victoriâ, & Vichiæ miseratus incolis, quos continuis Parnovienses infestarent excursionibus, nobilibus Harriæ sub unum cum Sueticô milite vexillum contractis, initio autumni hostem agreditur populationibus intentum. Sed contemptâ Parnoviensium paucitate, dum negligentius & somnolentius cum illis belligerat, ini fugam convertitur; nec tamen inultus ad castra revertitur. Quocirca hostes viris & viribus deinceps collectis, Suecos invadunt, qui de misero patriæ statu intereâ facti certiores, maluerunt cum adversariis inducias approbare, quam pugnare.

Ipsomet etiam rex Ericus ancipitem domi subveritus aleam belli, convocatos Stockholmiam Sueciæ, non Gothiæ, Ordines XXVIII. Augusti, consultit de pacifica cum hostibus transactione. Qui licet nonnullas pacis leges suggererent, ea quidem intentione, ut illis pace cum Dano & Polono instauratâ, commodius domestica transfigeretur

tur controversia; tamen opinione suâ frustrabantur, quod internum nimis belli grassaretur incendium. Nam Duces indubia sibi spe victoriam promittentes, cum numero pergit exercitu Uplandiam versus. Et propterea rex Ericus seposito pacis negotio, arma etiam corripit, saepiusque cum suo erumpens milite, prodromas illorum copias infestat, & Nycopiam fratris Caroli civitatem inflammat. Sed nihilominus quedam Principum cohortes per Sudermanniam Stocholmiae appropinquantes, frequentius regiis prævaluerunt, & interea Duces ipsimet cum reliquo properantes exercitu per Nericiam & Vesmanniam, civitatem Uplandiæ Upsaliæ XI Septembris die attigerunt.

Ubique autem sub sua cogunt signa plebeculam, undique præterea ex regio milite plurimi ad illorum castra secedunt; immo Procerum non pauci Rege deserto, ipsa etiam Stocholmiae clanculum ad hostem profugiunt. Horum verò fuerat unus regis Erici amitus Dux Magnus, qui suæ etiam vitæ insidias à consangvineo Rege structas intelligens, simulatâ venatione, cum uxore nova & hujus sorore Elizabetha Upsaliæ contendit. Profugorum itaque obligationes rex Ericus litteris & sigillis firmatas, ducto per forum reste, frequentes in urbe appendit, coram incolis exaggerat confluentibus summam illorum infidelitatem, in hujusmodi simul verba prorumpens: *Ista est conjratio quam ego dudum prævideram, ob quam Griphisholmiae principem Johannem hujus authorem æquissime captivaveram, & se-ctatores Upsaliæ mulctaveram, eandemque propter Stenonem ex Dania fraudulenter liberatum, carceri destinaveram; An non suspicione meæ verus respondit eventus? & tamen prius meo nulli fidebant vaticinio, me iniquum, me insanum, & me tyrannum plerumque vocantes?*

Interim hostis omnem à profugis conditionem & intentio-nem Regis edoctus, sub Stocholmiam accedere decrevit. Ideoque Dux Carolus XIV. Septembris cum parte copiarum prægreditur, & postridie cum reliqua princeps Johannes pedentem subsequitur, XVII. mēnsis ejusdem die, juxta suburbium boreale castra metantes. Quando Georgius regi Erico in præcelsa trium coronarum turri ad vantantium speculantib[us] hostium multitudinem, fertur dixisse: *Si meo, Rex Serenissime, obtemperasses consilio, & fratrem in tua constitutum potestate, vitâ privasses, non tantis ille modò te agminibus ob sideret. Nec mœstissimus aliud Princeps ardeleni respondit, quam quod; acu rem tetegisset.*

Deinde missis ultrò citroque nunciis, de pace nequicquam agitur, quod pertinacius contenderent Duces, ipsum prius discordiæ authorem Georgium omnino sibi tradendum. Idem quoque Regis in urbe præsidario milite, & civibus pariter flagitantibus, ac vociferantibus, stabilem utrinque haud fore concordiam, quam diu Rex Georgio uteretur consultore. Tandem XVIII Septembris mandat rex Ericus castris propugnatoribus, ipsum quantocius comprehensum ad suburbanam fratris perducere stationem. Nec segnes illi mandatum executi, captam simul Georgii matrem, beneficiis & præstigiis arte infamem, cum filio in castra hostium transmit-tunt, quando is ductores & spectatores ita fuit allocutus: *O me insanum, quod hactenus crediderim, cælum prius quam regem Ericum esse ruiturum, vel me ab illo desertum iri! Ideoque adhortor vos, ut meo ad-moniti*

moniti exemplo infortunioque, Dei potius gratiae, quam regum vel principum, confidatis, neque his, velut ego, gratificantes, insontem apud illos traducatis.

Perductus autem in castra, exquisitissimis protinus tormentis subiicitur, in quibus horrenda confitetur flagitia, quæ partim Rege incito, partim conscientia perpetrasset. Et simul de moderna regis Erici molitione interrogatus, memorat ipsum Stocholmiâ prius direptâ & incensa, cum regni thesauro, & navibus primariis, fugam cogitare in Moschoviam. Quocirca Duces hujusmodi executionem machinationis præventuri, urbis & arcis expugnationem statuunt maturandam, & propterea suburbio post triduum exusto, castrisque proprius admotis, ex ipso Brunconis monte Stocholmiam impugnare cœperunt. Nec in ea Rex otius, cum hostibus eminus & cominus haud raro belligerat: Siquidem ex propugnaculis Regiæ sublimioribus, in adversarios continuo fulminarit, & simul aliquoties factâ in eosdem irruptione, coram pugnaverit.

Nihilominus tamen suis diffidens rebus, & regi Friderico adhuc confidens magis consobrino, licet ipsum gravissimis hactenus detrimenis cumulasset, quam Ducibus Johanni & Carolo fratribus, litteris Daniam versus actum ablegatis, illius opem adversus rebelles, sub gratis Dano conditionibus, expetiit; non tamen ipsi thronum Sueciæ, ut falso quidam existimarunt, obtulit. Verum tabellarius in Oceano comprehensus, non tabulæ, quod has viso hoste in pelagus demersisset, Calmarniæ maestatur.

Interim vero rex Ericus istam nuncii sortem & mortem ignorans, quinquaginta aureorum millia Ungaricorum, cum longè plurimis argenti libris defæcati, quodam abscondisse loco perhibetur, ut si modo, vel posteâ hostiles evaderet manus, isto thesauro militem compararet, & thronum recuperaret.

Sed vana prorsus fuerant ipsius consilia, postquam Georgium, sanè hominem ingenio vaferimum, amisisset consultorem. Quem Principes, velut furem, homicidam, adulterum, regni perturbatorem, & Regis sui proditorem, interea damnatum, suppicio taliter XXII. Septembribus horrendo affecerunt. Primum lobi aurum, cum insignibus per scelera partis, patibulo affixis, in eo paulisper ipsem suspen ditur, indeque mox sublatus, & vecte ferreo seu rotâ membratim quassatus, minutâ decollatur securi, frequentius propter augendam suppicio gravitatem impactâ, tandemque IV. palis in jugo Brunconio definitis, imponitur. Quando simul mater maleficii convicta, alio ducitur mulctanda, quæ prius equo corruens, collumque frangens, palo per viscera transadacto, in proxima sepelitur palude.

Interea temporis senatus urbis in hostium partes inclinatus, quod obsidionem se non diutius posse sustinere animadverteret, & simul à Ducibus occulto saepius internuncio ad spontaneam civitatis ditionem sollicitatus, nullis ita cladibus mulctandæ, sed consuetis, & novis immunitatibus liberaliter ornandæ, regi Erico palam significat, quorum vana & insana esset Stocholmensium reluctatio, cum hostis reliquum Sueciæ jam fermè subjugasset, ideoque sibi & suis aliter tempestive prospiceret. Ab illo autem contemptus, Ducibus clam denunciat, ipsis XXIX Septembribus portas urbis pandendas, istoque rex Ericus die conjurationis ignarus, dum in Ecclesia civium parochiali sacris confi denter

denter daret operam, hostes urbe potitos intelligit. Inde propterea quantocius acropolim versus festinat, quem Steno Ericius concitato insecurus equo, bombardâ extreum illi minatur fatum, nisi protinus se dederet. Hinc proinde territus, blandè adversarium compellat, & *vester*, inquit, domine Steno, captivus fieri haud recuso. Quando unus satellitum Regis misertus, cataphractum bipenni perfodit Stenonem, & ita rex Ericus ab eo in terram corruente liberatus, in arcem profugit, portisque velociter occlusis, suum infortunium luget.

Miles porro qui cum Carolo duce & Stenone fuerat civitatem ingressus, Duce Johanne in castris remanente ad sequentem usque diem, ædibus Georgii Petrii & quorundam aliorum Regi Erico fideliorum direptis, Moschoviticorum invadit Legatorum furiosissimè divisorium. Inde tamen à Duce Carolo mox revocatus, arcis se accingit impugnationi, nec ulli civium mali quicquam contingit.

Rex autem suis prorsus diffidens rebus, maluit cum hostibus de instauranda consultare amicitia, quam pugnare. Ideoque ad colloquium ab illis vocatus, acceptis obsidibus, in Ecclesiam descendit parochialem, ubi post gravissimas utrinque altercationes multorum convictus scelerum, regio se tandem abdicavit officio, & fratri Carolo se captivum præsentavit, honestam flagitans custodiam.

Modò itaque præsentes regni Ordines, omnem regi Erico subiectiōnem prima vice renunciarunt, illeque in castrum reductus, in regio aliquandiu conclavi sub arctissima custodia detinetur. In qua, sicut etiam in aliis postea multò gravioribus, uni vel altero Procerum, supremam captivi & militis ipsum observantis curam inspectionemque habituro, identidem commendabatur. Qui quidem ex agnatis plerumque, vel cognatis occisorum Upsaliæ optimatum, deligebantur, aliisve infensissimis captivo inimicis, ut securior esset Princeps Johannes de custodia fratris, illique propterea vindictæ frementes cupiditate, sæpius regem Ericum inhumanissimè tractarunt.

Nec inscius fuit hujus ille calamitatis, quando regia floruit prius dignitate; Quandoquidem observatis astrorum effectibus, eam dudum prædixerit, quam pariter quādam S. Birgittæ prophetiâ sibi applicatâ, inde prænoverat. Vaticinium porro Divæ, successus V. Regum narrat, & sortem rex Ericus secundi, quæ hujusmodi est, sibi, velut propriâ scripsit manu in quodam Revelationum Brigittinarum libro, accommodavit: Secundus est lupus insatiabilis, qui non cognovit improvisum casum suum, ut ditaret inimicum. Isteisque deditus imaginationibus, propriam simul umbram formidavit, atque ut imminentia devitaret sata, scelus scelere cumulavit, & ita pedetentim ad ipsum fatorum abyssum properavit. Præterea si vero similis est quorundam narratio scriptorum, in utero ipsum matris aliquoties fleuisse afferentum, & manibus sanguine plenis inde postea genitum fuisse, videtur natura illum à primo vitæ exordio signasse, ac tyrannum, velut digito protento, demonstrasse.

Quamquam hujusmodi plurima Erico ab osoribus imposta censeantur; quorum numero & illud reponendum, quod carnifex Stocholmensium confessus perhibetur, se plus quam tria hominum millia, partim Regis, partim Georgii Petrii mandato, clām palamque per regimen Erici septennale ibidem mactasse, ac nihilominus CXLVIII. in quodam illius manu adnotatos libello, cædi præterea destinasse. Potis-

Potissimum verò narrationi haud fidendum Erici Georgii, quòd ipse omni passim culpâ in Regem maligne derivatâ, suum parentem sceleratissimum in sua historia, vel potius rerum sub Erico gestarum scoria, inculpabilem apud ignaros veritatis posteros reddere fraudulenter elaboret.

Præfata demum tragædia in mensē incidit Septembrem, velut anteà prænotatum est, cui XXIX. dies tristem imposuit colophonem. Quod profectò anni tempus Sueonum esse principibus quodammodo fatale, sequens veteris novæque historiæ anacephaleosis liquidò manifestat. Enimverò quantum ad hunc attinet diem festo Archangeli Michaelis sacrum, eo quondam rex Birgerus in Hatuna fuit à fratribus captivatus; Christopherus à Suecis Arbogiæ in regem designatus; Steno Sture gubernator regni, à Johanne Danorum rege sub Stocholmia fugatus; Ericus Gustavo parenti mortuo subrogatus, & postmodum captivatus; Et illo tandem die rex Sigismundus sub Lincopia patruo Duci Carolo, post cruentissimum utrinque conflictum, fuerat paulisper reconciliatus. Verum quoad reliquos mensis dies, in iis mortem oppetiit gloriostissimus Sueciæ monarcha, Magnus Ladulas; Albertus, Mepoleñsium princeps, ab exulantibus Sueciæ consiliariis rex fuit designatus, & postmodum à regina Margareta & iisdem bello profligatus, & incarceratus; Engelbertus, Dalecarlis sub signa contractis, regi Erico Pomerano rebellavit; Steno deinceps etiam Johanni regi; Rex Christiernus hujus filius, Stocholmiâ, totoque Sueonum regno potitur; Rex Johannes III. in lethalem incidit morbum; Ac denique ipsius filius & successor, rex Sigismundus, mense Septembri fuit in Ostrogothia debellatus à patruo, Duce Carolo, hicque sceptrum posteà nactus, per idem temporis spatum mortiferâ corripiebatur infirmitate. Ex quibus evidenter constat exemplis, præfatum quotannis mensē atque diem Sueciæ regno quandam plerumque mutationem adferre solitos; Quæ ut in melius, non deterius fiat in posterum, patriæ animitus exopto.

Laus Deo sempiterna.

